BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
19 H A
26

21.C.16

Poemata
Miscell.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
21-c-16

6-19-A.26

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI POEMATA.

Bibl: Soc Coll Rom: Soc Iesu



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

NEAPOLI
Apud Io. Mariam Scotum
M D LXII.

6.19.A.26

AD ILLVSTRISSIMVM MARCVM ANTONIVM COLVMNAM CARSEOLORVM DVCEM

Dominicus Pizimentius Vibonenſis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NATVRA comparatum eſt, Dux ornatiſſime, vt ea, quæ maxima ſunt, cum paruis nequaquam iungantur, niſi aliquid eis interiectum ſit, cuius beneficio illa deuinciantur. Id quod ex humani corporis, mundiq; minoris fabrica, nos ipſos, ex Socratis præcepto contemplantes, poſſumus intelligere. Ille enim rerum omnium opifex inter partes infimas naturales, & ſpirabiles nobiliſſimas ſeptum tranſuerſum, quod διάφραγμα Plato vocat, medium appoſuit, vt illæ eo, quaſi vinculo copulatæ, nec longius diſtractæ, inuicem ſuum officium præſtarent. idem etiam inter has, & animales collo cohærentes; & in corde vitæ, ac caloris fonte perſpiciemus, ſi geminos eius ventriculos contemplemur, dexterum alterum, in

quo ſanguis; ſiniſtrum alterum; in quo ſpiritus continentur. inter quos carneam quampiam ſubſtantiam inſertam, aquamue interpoſitam, quæ efferueſcentem æſtum temperaret, planè videmus. eandemque rationem Dædalam Naturam mirandum in modum ſeruaſſe inter partes duriſſimas, ac molliſſimas deprehendemus. præſertim cùm conſtet inter omneis, qui non Theſſali, aut alicuius empirici amethodon ſectam ſequuntur, neruis, arterijs, & venis, quæ ab ipſo hepate propagantur, glanduloſum quoddam corpus, quod πάγκρεας Græci appellant, veluti puluinar, ſubſtratum fuiſſe, ne à ſpinali medullæ vertebris offenderentur. Et inter priores, ac poſteriores rectorum muſculorum partes multos tendines interiectos, eas inter ſe connectere, & firmiores reddere reperiemus. Inter cerebrum denique ipſum, & caluariam duplicem tunicam, duram, ac tenuem meningem inquam locatam inueniemus. Sed, vt, quemadmodum potius philoſophum decet, maiorem mundum leuiter expẽdamus, videmus inter ſupremam cauſam, & res ipſas naturales, quæ generantur, & intereunt, intermedios eſſe cælorum orbes; qui ſua immortalitate, ſuiq; perenni ſimilitudine tum ad diuinam illam, tum ad huius mundi condionem, corporea, & motu agitata natura propius accedentes, perpetuò à primo omnium motore mouentur, & mouent. Ignis item, & aqua ex elemẽtis, quæ ob contrarias qualitates inter ſe didu-

cuntur, aëre, qui vtriuſque illorum naturam ſapit, intercedente, familiariſſimè copulantur, inter cælum etiam, ac terram eſt aurea illa Homeri catena; quam alij ſolem; ſed verius alij Amorem interpretantur: quo duo hæc ſimplicia corpora vinciuntur. Sed, quorſum hæc? inquies. Ego, cùm meám humilitatem, ac tuam contrà maximam autoritatem animo concepiſſem, & ſi, ob eximias virtutes, quibus te præter cæteros Natura exornauit, iam pridem ardebam me in tuam gratiam inſinuare, hoc tamen aditu laudis, vt inter tuos ſeruos referrer, hactenus cauſis ſuperius dictis prohibitus requieui. Quam ob rem aliquod mihi tertium, ac medium inueniendum putaui, quo parante viam, ac præbente aditum, iucundiſſimum tuæ ſeruitutis iugum ſubirem. Quæ cogitatio cùm diu, multumq; in animo verſaretur, factum eſt tandem vt Antonius Sebaſtianus Minturnus Epiſcopus Vxentinus accitus in concilium Tridentinum proficiſceretur, mihiq; committeret doctum hunc, & laborioſum libellum: in quo Cæſaris, tuæ, ac tuorum laudes heroo carmine celebrantur; vt ex meo arbitratu ſub alicuius officioſi principis nomine imprimendum, & in lucem emittendum curarem. Hoc igitur opus nunc tibi dicatum ſpero optimum fore medium ad tuum mihi ſtudium comparandum. ipſiq; autori probatum iri conſilium meum, qui tibi ſoli ex omnibus ſuos labores, ac vigilias conſecrarim, vnde ille, quaſi fænerator, cùm dede-

rit, ſumere vberius lumen queat; atque huiuſmodi clariſſima Columna innitatur, qua ſpes totius Italiæ ſuſtentantur; quæ'ue nec temporis, nec ventorum iniurias pertimeſcat. At cui nam potius hoc munus dare debueram, quàm tibi, qui ingenioſus ingenijs faues, ac perpetuò de literatis hominibus benemereris? & id ipſum, quod datur otij à maximarum rerum, ac bellorum ceſſatione, libentiſſimè ſtudijs tranſmittere conſueuiſti? vt non modò nobilitate generis, & rei militaris ſcientia, verùm etiam ingenij gloria cæteris omnibus noſtræ tempeſtatis equitibus anteires. Atque, vt pauca quædam leuiter perſtringam ex his, quæ tu puer adhuc præclariſſimè geſſiſti; Quis ignorat te priorem apud Senas acriter in confertiſſimam aciem erumpentem, pulſis, ſuperatisque hoſtibus victoriam comparauiſſe? ac nuper ad Hernica ſaxa non multo milite cùm magnas Gallorum copias ſumma cum laude ſuperaſſes, cæteros barbaros aliunde accedētes hoc nuntio ab huius regni finibus auertiſſe? Sed quid ago? qui vnis his literis ingredior ad explicandas innumerabiles laudes tuas, qui, cùm ſis alter Achilles, dignus es altero Homero, cuius præconio illæ vulgentur, multisq; voluminibus referantur. Præſertim cùm omnes ingenuè fateantur, his noſtris temporibus non habere Regem, quem poſſit tibi virtute belli iure præferre: ſed in tuo pectore adhuc vigere priſcam illā, & excelſam Romani animi ma

gnitudinem, qua te idoneum, ac paratũ putant ad quoduis maximum bellum adminiſtrandum. eundemq́ue vnum eſſe, in quo ſumma ſint omnia, quæ in perfetto Imperatore ineſſe oportet. cùm tibi nec ſcientia rei militaris, nec virtus, nec autoritas, nec felicitas deſit. Quis enim te armorum ſcientia præſtantior eſſe poteſt? qui, cùm eam à tuis maioribus quaſi per manus traditam accepiſſes, omnem adoleſcentiam non alienis præceptis, ſed tuis imperijs; non cladibus, ſed victorijs; non ſtipendijs, ſed trophæis traducendam exiſtimaſti. Nullum enim ferè genus belli exardet, in quo non te exerceat Italiæ forna. De virtute verò tua diuina, atque incredibili, cùm ei non queam parem orationem inuenire, ſilere ſatius duco, quàm non, vt dignitas poſtulat, verba facere. præſertim cùm cuique notum ſit, tuum laborem in negotijs gerendis, fortitudinem in periculis ſubeundis; induſtriam in rebus agendis; celeritatem in conficiendis; ſapientiam in prouidendis eſſe propè ſingularem. & ita faciles aditus ad te priuatis dari, vt, qui dignitate omnibus antecellas, humanitate par infimis videaris. huius rei teſtes citare poſſum ſubditos, & ſtipendiarios tuos, qui, cùm hoſtis tuarum rerum imperio potitus eſſet, ſub tua ditione potius mori, quàm ſui iuris eſſe maluerunt. Eosq́; ſcimus omnes, ad te protinus armis, opibusq́ue paratos vndique confluxiſſe; ac nihil, præter hanc vnam celeberrimam Colum-

nam deſideraſſe; quam cuncti, cùm tui ſolius amore teneantur, ſub pectore, vt reor, inciſam gerunt. Omitto animi continentiam, & temperantiam tuam in omnibus rebus. Omitto liberalitatem, qua non ad opulentiam, ob auri ingluuiem, ſed tantùm ad victoriam ipſam, & gloriam mentis aciem intendis. Omitto denique fidem; quam non modò à ſocijs, ſed ab ipſis etiã hoſtibus ſcimus ſanctiſſimam iudicari. Autoritas verò tua, quæ in bellis adminiſtrandis plurimum valet, tanta, ac talis eſt, vt hoſtes audito ſolùm nomine tuo, quod multum eſt vbique gentium, maximo timore corripiantur: tui autem milites dicto obedientes ſumma te beneuolentia, ac veneratione proſequantur. ad res verò magnas benè gerendas exiſtimo huiuſmodi tibi diuinitus fortunam adiunctam eſſe, vt filicitate Timotheo Athenienſium duci conferri poſſis. præſertim cùm tot prælijs commiſſis nullam non modò belli offenſionem, ſed ne plagam quidem acceperis, cùm, felicibus armis pulchrè moriturus, vt leo, toties in medios hoſtes animoſè progreſſus eſſes. Sed te, vnde omnium virtutum exempla peti poſſunt, aliàs loco mogis idoneo, cùm plus otij nactus ero, maioribus laudibus cumulabo. nunc tantùm dicam, nec te Minturno Poëtam præſtantiorem, qui tuas laudes elegantius, ac doctius decantaret; nec illum heroem te digniorem inuenire vnquam potuiſſe, qui ſibi vberiorem materiam ſuppeditaret. di-

tant quicquid velint Homeromaſtiges, at Rhinocerotes iſti, qui ſibi ex aliorum conuicio laudem quærunt, quique, cùm non dum fonte caballino labra proluerint, audent genuinis, at maledicis dentibus carpere ſapientiſſimos viros, vt ipſi, inuita Minerua, Muſarum patres videantur. Sed ſciat vnus quisque, ſi qui ſunt, qui Minturnum doctrina, ac probitate inſignem lacerent, hos non de Minturno, ſed de fide male ſentire, & ab eo non tàm ſcientia, quàm moribus, toto, vt aiunt, cœlo differre. Non dico hoc temerè. Sciolus enim quidam, atque ridiculum caput, cùm in hæc carmina, dum imprimerentur, incidiſſet, vbi Venus alloquitur Iouem, ſtatim cepit animo commoueri, quòd Poëta non rectè Iouem pro Deo, Venerem pro amore diuino poſuiſſet. cui reſponſum velim, cum non modò Græcas, ac Latinas literas ignorare, ſed etiã eius, qua vulgò loquimur lingua expertem eſſe, cùm vel lippis, & tonſoribus pateat, Franciſcum Petrarcham in ſuis canticis non ſemel Iouem in hanc ſignificationem vſurpaſſe. Marſilius Ficinus etiam Iouem in dialogo Platonis de furore poëtico dei mentem interpretatur. & ille Paripateticorum princeps ſcribit in libro de mũdo, quòd, cùm Deus opt. Max. vnus ſit, illum veteres pro varietate virtutum diuerſis nominibus appellarunt. cùm nunc Ζῆνα & Δία à viuendo, nunc βροντᾶιον ideſt Tonantem, & aliter etiam dixerint. caueat ergo extimet dein-

ceps hoc ſtolidum pecus, poëtarum gregem, cùm de dijs fabulantur, non ab adytis plerunque philoſophiæ, vt ait Macrobius, ſemina mutuari. atque nunc primùm diſcat, aliter res oratione pedibus colligata, ac ſoluta ſcribi debere; & vt aliò me conferam, non vnam tantùm Venerem illam turpem ſibi notam inueniri, ſed, vt idem Ficinus ſcribit, ex ſententia Platonis, duas eſſe Veneres: alteram quidem cœleſtem; alteram verò vulgarem. cœleſtem illam Cœlo ſine matre natam: vulgarem ex Ioue, & Dione genitam. Venus prima, quæ in mente eſt, cùm ab omni materiæ conſociatione ſit aliena, cœlo nata ſine matre dicitur, quoniam mater apud phyſicos eſt materia. id quod oſtendit Ariſtoteles libro primo de generatione animalium: vbi docet, veteres cœlum, ac ſolem, patres; Terrã verò, matrem appellare conſueuiſſe; ut propterea diuerſa rerũ habita ratione, non ab re Iouis & ſoror, & coniux Iuno dicatur eſſe apud Maronem. Nam Iuppiter formam, ad quam res naturales, velut ad ſuam perfectionem, contendunt; quam'ue ſimul ac induerint, non amplius mouentur; Iuno materiam, ex qua res conficiuntur, phyſicè refert. nec mirum formam pro viro; materiam pro coniuge ſumi; cùm, vt ipſemet philoſophus inquit, quemadmodum mulier viri, ſic materia formæ deſiderio teneatur. Valeant ergo, qui adeò ſunt in rebus alienis diligentes, vt, quemadmodum manticæ, non videant quid à tergo ſit.

Mihi verò hoc vnum lætandum eſſe video, me huiuſmodi temporibus natum eſse, quibus in re medica Donato Antonio Altimaro medicorum omnium noſtræ ætatis facilè principe magiſtro, in poëtica verò, ac Græcis literis Minturno doctore omnibus numeris abſoluto vti potuerim. In quibus, vt par eſt, meliorem fortunam deſiderarem. Sed ſpero fore, vt aliquando homines reſipiſcant, ac planè ſentiant, ſtulto intelligens quid interſit. Sed vt ne epiſtolæ limites transgrediar, te rogo vt hoc noſtrum munus hilarè, ac libenter accipias, quò autori addas calcaria, vt maius opus in tuam laudem aggrediatur, & noſtræ Muſæ aliquid apud te poſſe videantur.

VALE

IOANNIS BAPTISTAE
IANVARII VIBONENSIS
Ad Antonium Minturnum.

Te quoties audit Liris Minturne canentem
Gaudet, & vndiſono vortice lætus ait.
Vt libet Heſperios inter ſe Mincius amnes
Iactet, & ipſe ſuo vate ſuperbus eat,
Nō equidē inuideo, nec ſorti Aganippidos vndę,
Dum meus ad cantum guttura tendit olor.

IANVS PELVSIVS

CROTONIATA

ad eundem.

Sic me Dij faciant pij beatum,
Minturne Aonidum decus dearum;
Vt nullus ſitus imminentis aeui;
Dignos in medio legi theatro
Tollet aureolos tuos libellos.
Temne iudicium leuis popelli,
Nam fœtus Critici, inuidique Momi,
Qui carpunt veterum, & recentiorum;
Compeſcent digito ſuo labellum:
Quid domi vlterius latent? vt vrſa
In ſolis pariens locis catellos?
Occultent opici ſuos poëtæ
Verſus illepidos, & inuenuſtos.
Tuis Pierides dabunt ſorores
Indelebile nomen, & perenne.

INDEX EORVM, QVAE in hoc volumine continentur.

De aduentu Caroli V. Imperatoris in Italiam Libri tres. Pag. 1
De eiuſdem laudibus 30
Ad Michaelem Maium, MECVRIVS 33 *b.*
Ad Franciſcum Cubum, PYRENE. 36 *b.*
Ad Paulum III. *Pont. Max. Roma.* 41. *a.*
Ad Elyſium Caraciolum Epiſcopum Catanenſem, Elyſius. 44. *b.*
Ad Paulum III. *Pont. Max. Concilium.* 47. *b*
Ad Clementem VII. *Pont. Max. Pallas.* 55. *b*
Ad Andream Caraſium Neapolitani Regni Proregem, Megaris. 57. *b.*
Ad Io. Franciſcum Anyſium, Domicilla. 60. *b.*
Ad Illuſtriß. Pompeium Columnam Cardinalem. 62. *b.*
Ad Illuſtriß. Principem M. Antonium Columnam Genea Zanòs. 65. *b.*
Ad Paulum Iouium hiſtoriarũ ſcriptorem. 76. *a*
Ad Hectorem Pignatellum Siciliæ Proregem. 78. *b.*
Eiuſdem Minturni Epigrammata, & elegiæ.

TYPOGRAPHORVM
ERRATA.

Pag. 1. a phæbi l. Phæbi.
1. b. Diuum l. Diûm.
7. a. præſidet l. præſidet
10. b. mortaleque l. mortaleſq;.
25. a. fccerat l. fecerat
25. b peditùm l. peditum.
25 b. geminò l. gemino.
27 a. magnauimus l. magnanimus
27 b. baratro l. barathro.
29 a. quandam l. quondam.
29 b. bacas l. baccas
33 a. felibus l. felicibus.
35 a. motalibus l. mortalibus
35 b. preueniſſe l. perueniſſe
37 b. porphanantes l. prophanantes.
38. b. nuc l. nunc.
44 b. Catanemſem l. Catanenſem.
48 a. ſe id l. ſe in.
60 a. per labitur l. perlabitur.
61 b. Borea l. Boreas.
60 b. vt perhibent: l. vt perhibent,
65 a patriæ antiquam, l. antiquum,
70 a. in loco l. in luco.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI DE ADVENTV CAROLI QVINTI IMPERATORIS IN ITALIAM.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

LIBER PRIMVS

MAgnus ab occiduo Cæſar qui venerit orbe
Primus in Italiam, Hetruſcas Regnator ad vrbeis,
Ad latium decus, Hectoridumq́ue inſigne, canatur.
Quæ bello ardenteis, actosq́ue in prælia reges
Pro magna Heſperia felix concordia rerum
Conciliet, contraq́ue pios compellat in arma
Vltura imperij labem, & temerata ſepulchra
Cælicolûm Regis, violataq́ue iura ſacrorum,
Tu dea, tu memora, quæ numine prædita magno
Colloquio frueris diuûm, atque æterna parentis
Fata Iouis ſummi, phœbiq́ue oracula ſeruas.
Vosq́ue adeo Heſperiæ claro decora edita cælo
Præſidia Europæ, duo maxima lumina rerum,
Lumina, qui gemina luſtratis lampade terras,
Fortunati ambo, imperijs florentibus ambo.

A

Toto orbe inſignes, alter cœleſtibus, alter
Humanis, ſi veſtra cano pulcherrima pacis
Dona audens, monſtrate viam, atque audacibus orſis
Annuite, vt veſtri ingentes referantur honores.
Eſt in ſidereo ſpecula omnipatentis olympi
Vertice, qua Diuum pater arduus omnia latè
Aſpectat, qua cuncta audit, qua cuncta tuetur.
Hinc maria, ac terras cum deſpectaret, & omnem
Italiam duris oppreſſam cerneret armis.
Oppreſſam diris crudelibus, omne malorum
Ferre genus miſeram; aurata intra tecta vocari
Concilium iubet ex omni regione Deorum,
Et qui ſigna regunt eoa, & qui aurea cœli
Culmina, & obliquo occiduos qui tramite curſus,
Quique arctoa tenent pulſa legione prophana
Sidera, quique polos aduerſo è cardine vertunt.
Cœlicolûm perhibent regem; cùm conderet orbem,
Æternasq; daret leges, & fœdera mundo,
In partem regni ſuperos, operumque laborem
Accerſiſſe olim, & ſua cuiq; ex ordine certo
Munera pro meritis mandaſſe, & ſceptra tenenda:
Vt genus humanum regerent, ſeu numine læuo
Supplicia infenſi ſcelerato è ſanguine ſumant,
Seu contrà apportent læti cœleſtia dona.
Haud mora: conueniunt omnes: ſuper eminet ipſe,
Et ſceptro innixus, rapidum quo temperat axem,
Immotusq; regit, ſolio ſic infit ab alto.
Quæ certam potuit tandem ſententia mentem,
Vertere cœlicolæ? nunquid noua condere fata

Aggreſſi vſque animis adeò certatis iniquis?
Iam dederam AEneadis terras ſine fine per omneis
Imperium, ac magnam Latijs in montibus vrbem
Cui mare, cui tellus pareret, vt ardua ſummo
Inde via egregia virtute pateret olympo.
Quæ vis cæleſtum, quæ tanta inſania cogit
Inter ſeſe illos ſæuo decernere bello
Armatos odijs, regnumq́; excindere ferro,
Barbarus vt latè terras orientis haberet
Hoſtis, & infelix temeraret iura ſacrorum?
Si qua eſt cauſa mali (neque enim ſine crimine bellũ)
Commiſiſſe nefas, tam multa, ac dira ferendo
Expendere ſatis: ſceleris veſtigia priſci
Si qua manent, aderit quondam, ne accerſite, pœna
Iuſta dies, cùm me torquentem è nubibus ignem,
Quo mare, quo tellus, quo maximus ardeat æther,
Cernere erit; magnique horrenda ad iudicis ora
Cuncta recenſentis, nitidaq́; in nube ſedentis
Cùm tuba terribilem ſonitum dabit æthere ab alto,
Conciliumque vocans animas, vmbrasq́; ſilentes
Excitet; atque omnem terroribus impleat orbem:
Tum liceat mulctare reos, tum ſumere pœnas.
Nunc ſinite, & lætam Heſperiæ componite pacem,
Armaque, & ardenteis animos conuertite in hoſtem.
Hæc ille. Actutum mæſto de hinc ſuſcipit ore
Cana fides, qua mortales nil ſanctius vnquam
A ſuperis habuere, atra nunc lurida palla,
Flexa genu ante patrem, crinesq́; effuſa decoros,
Aurea quam Venus æterno comitatur amore,

Spem comitem in terris fugiens iam liquerat olim,
Nec tamen in terris tuta ſtatione manentem,
Suſcipit, & latè cœlum conqueſtubus implet.
O Rex, o pater, o diuûmque, hominumque repertor
(Quid nam certè implorē aliud? quę numina poſcā?)
Aſpicias quanta belli, quantaque malorum
Italia infelix iandudùm mole prematur:
Vt furibunda cohors dirarum excita ſororum
Cæruleis latè iactent de crinibus angues:
Quæ monſtra irarum ſubter præcordia tędas
Incendant, rapiantque feræ in certamina reges:
Inficiant ſegetes, & triſti pabula tabo:
Pallida Gorgoneum fundant per corpora virus:
Vtque horrenda, ardens duro Bellona flagello
Per medias bacchata vrbeis, bacchata per agros
Arma amens vocet, & populos in funera cogat:
Vt vulgò furiale malum letho improba peſtis
Corripiat, ſtragemque ferat mortalibus ægris:
Vt Cererem extrema nequicquam voce petentes
Inſana rabie, ſtimuliſque agitentur edendi;
Et tenues multo gemitu ſoluantur in vmbras.
Cernis vt occiderit rerum caput inclyta Roma;
Vt decus Inſubrum, vt ſtudijs pulcherrima pacis
Parthenope: multoque fluant vt ſanguine foſſæ:
Nec non cæde noua Neptunia regna rubeſcant?
Cernis vt inſultet tam dira clade tuorum
Lætus, & exitium minitetur barbarus hoſtis?
Quid tua progenies cœli dimiſſa per auras;
Quòd verè humanos mortali corpore vultus

Induerit, totque immeritos perpeſſa labores
(Prò quàm mirus amor) optatæ lumina vitæ
Morte ſua æterna mulctatis morte redemit;
Donaque perpetuæ miſeris vberrima pacis:
Atque triumphatis inferni manibus orci
Victor agens omnem ſacro deuinxerit orbem
Sanguine, & Auguſtas Romæ ſibi condidit arceis;
Quam terræ vt rerum dominam, ſic iuſta piorum
Regna gubernantem colerent; quid denique tanto
Munere profecit? Tua quondam certa voluntas,
Quæ latè humana, hac eadem diuina per omne
AEuum iura daret mortalibus: vt pius armis
Romanus princeps Romanum ſeruet ab hoſte
Pontificem, ſi qua vis ingruat effera belli:
Et tuta imperio caſtus tua templa ſacerdos
Ritè colat: ſic Romulidum qui legibus orbis
Paruit, hunc placidè tua iura, fidemque ſecutum
Relligione pia læti iam vidimus omnem.
Verum vltura nefas populorum, vltura potentum
Crimina; prò quantum infelix diſcordia rerum
Iusque, piumque poteſt miſcere, & cuncta ſub auras
Vertere? vt in Latio ſedem poſuiſſe putetis
Perpetuam; & ſumma elatam dominarier arce:
Nec mea, me penitus depulſa, regna tenere
Pœniteat; nec cum toties miſiſſet ab oris
Externis, qui ferro vrbeis deleret, & arua
Auſoniæ tanto excidio contenta videtur.
Quid memorem? an quanto ſtridens aquilone procellas
Arma tulit, totumque furens à ſedibus imis

Eruerit Latium? an quantas nothus improbus egit
AEratas acies? vt creber fluctibus atris
Obruit Italiam? longè grauiora ſubegit
Heſperia excitos media, qui bella cierent
Inteſtina ſuis. Qui nam tua numina adorant,
Qui non certè odijs, & ſeditione frementes
Arma petant, ipſique ſuas conſumere vires
Contendant? fas eſt tanta virtute paratum,
Totque laborum opera ſæuis reſcindere bellis
Antiquum imperiũ, atque in plurima ſoluere regna,
Quod tanto ſtudio in terris effecerat vnum
Auguſtus Cæſar, quo non auguſtior alter.
Quid verò impietas Agarena? quid impius ordo
Scænitæ? heu ſcelus; heu manibus temerata prophanis
Terra potens, terra alma viris, terra inclyta legum
Munere: quæ magno daret incunabula regi
Principio delecta Deo vna ex omnibus oris:
In qua vagitus teneros emitteret infans,
Inciperetq; puer riſu cognoſcere matrem:
Dehinc latè inſignis meliores duceret annos:
Quæ lux, quæ via, quæ ratio mortalibus vna
Veri eſſet, ſummi quæ dicta arcana parentis,
Et ſacro ambages vatum recluderet ore:
Tum verò extinctum crudeli funere mater
Fleret: & exciſum prærupta mole ſepulchrum
Clauderet: vnde, diem oceano cum Lucifer almum
Tertius efferret, vitæ remearet ad auras:
Et cœlo reditum, exuuiasque referret opimas.
Cumque ſit in fatis, gelido pandatur ab axe

Omne malum, en ruptis ingenti turbine clauſtris
Caucaſeis, Aſiæ campos effuſa per omneis
Improba vis ardens ſuperauerat Helleſpontum:
Europæq; ſinus latè penetrarat, & arua.
Iam verò euerſis victor dominatur Athenis;
Nec patrijs regnis contentus abutitur hoſtis
Cæſaris imperio, nec non inſignibus aureis:
Quin & Pæonios fines populatur, & Iſtrum
Occupat vndi ſonum, ac totam iam territat armis
Heſperiam. Nunquam'ne malis, nunquam'ne leuari
Belli mole fines? iterum mihi barbarus altè
Imminet, & dirus Solymis exercitus alter
Auſonijs: iterum Nomadum mittetur ab oris
Vaniloquus vates: etiam mea vulnera reſtant;
Et tua progenies mortalibus occidet armis?
Si tua iuſſa ferant, totum permiſceat orbem
Hoſtis, & AEneadum auguſta dominetur in arce
Impius effugiſſe ſatis mihi mœnia Romæ
Tela per, & medias flammas; ſceptriſq; relictis
Hic inter ſuperos priuata in ſede recondi.
Sin minus: inuitoq; nefas vt numine tanto
Magna tuæ in terris aboleſcat gloria prolis,
Quam certè dederas omneis exire per oras,
Illuſtremq; fore æternis per ſecula regnis,
Cur non Romulidis rerum inſtaurare ſuperbum
Imperium liceat; famam quod terminet aſtris,
Oceano fines? cur non proferre piorum
Nomen ad extremas cœli ſub vertice terras?
Nam meus hic Magnus, regniſq; ſuperbus auitis,

Quem regem Herculeis Germania miſit Iberis.
Progenie regum felix Germania mater,
Hic ille eſt Cæſar pietate inſignis, & armis,
Quo genitor, quo non aliud felicius vllum
Tu mihi promittis: quem tot reſponſa deorum,
Quem nunc fata vocant: qui latè victor in omneis
Imperium terras, famamque ad ſidera tendat,
Et Solymis tandem ſedeat ſolio arduus aureo
Vltus auos Romæ, templa, & temerata ſepulchra.
Quod ſi qua eſt vetitum, ſi te ſententia vertit;
Nil ſuper hoc moueor. ſatis eſt ſperaſſe, quòd vltro
Fata dabant. per deletæ, ſi qua eſt venia, Vrbis
Mœnia, per, ſi qua eſt ea gratia, vulnera nati,
Vulnera, quæ puro antiquam lauere cruore
Labem (nanq; aderat natus, dextrumq; parentis
Ipſe latus, læuumq; ardens vigor ille tenebat
Omnipotens vigor ille deus, deus omnia complens)
Id ſaltem obteſtor, coëant in fœdera reges,
Pontificesq; boni, placidamq; in pace gubernent
Heſperiam: ipſe pius poſitis in glorius armis
Cæſar magnanimus vitam traducat inertem,
Concordesq; regat populos. tot adire labores,
Totque exhacta mari, terraque pericula rerum
Quid iuuit? quid tot bella, & patraſſe Latinos,
Imperium, nomenque tuum victricibus armis
Condere dum certant, & totum efferre per orbem?
Redde oro Europæ miſeris vberrima regna:
Da pater Aeneadis Romanos: da pater vrbem
Huic miſeræ, ſceptrumq; ingens. Tum maxima Virgo

Caſtigare datum cui pectora cæca, doloſque,
Sic Nemeſis. Quid nunc me ira irritare malorum
Pergis, & inſano tacitam exagitare dolore,
Plectentemq; reos, & flagitia indignantem?
Heſperiam'ne hominum quiſquam, diuûmq; ſubegit
Arma ſequi, & tanta vexari mole laborum?
Heſperiam? cui fulmineo diſcordia ferro,
Funereæque faces, & triſtia prælia cordi.
Atqui erat in fatis diuina, humanaque terris
Iura daret Latium, ſuperis authoribus: eſto.
Num patrare nefas, hoſtemúe laceſſere bello
Suaſimus? aut, quibus Heſperiæ ſuprema poteſtas,
Ardentes odijs armari in vulnera diris?
Num decus Inſubrum? num mœnibus Heracleis
Auctam Parthenopen longa obſidione tenere,
Totq; dolis? vacuam num defenſoribus vrbem,
Maxima quæ rerum, metuendis linquere prædam
Hoſtibus? aut bellis deſueto credere vuulgo
Ignauo? aut igni, ferroq; euertere culta?
Quæ vis in fraudem, quæue inclementia diuûm
Egerit aut illos animis crudelibus, aut hos?
Quicquid delirant in cauſa eſt ira deorum
Credo equidem: miſeros prò quanta inſania cepit:
Heu pietas: nulla in terris reuerentia diuûm.
An non inuuidia infelix, ac dira cupido,
Improbus & metus, & cura inflammatus inani
Ambitus, & quæcunq; animum dementia carpit,
Bella ſequi, vireſq; ſuas conſumere adegit?
Dum cupiunt, metuuntq;, dolent, & pectora ſæuis

Incendunt odijs, terras, cælumq́ue fatigant.
Scilicet, vt libet, infandum peccare licebit:
Indignum meritas ſcelerum mihi ſoluere pœnas,
Tu potes oceano properantem ſiſtere ſolem,
Et virtute noua miracula condere rerum,
Et potes illuſtrare viros, cæloq́ue dicare:
Nos, quod, ſi te tangit honos rectiq; probiq́ue,
Acceptum referas, mulctare errata nefandum eſt.
Quodq; pias firmat diuino robore leges,
Et latè oſtendit ſuperûm quàm magna poteſtas;
Id certè imminuet ſummi ſanctiſſima regis
Iura Dei, & cuncta æternum per ſecula nomen.
Nos'ne tibi Heſperiæ collapſa euertere regna
Conamur, nos te Romana pellere ab arce,
Nos? an quæ rerum ſtudijs incenſa nouarum
Bella alit, inſaniq; ferens noua crimina Martis
Gens inuiſa Deis hominum placida ocia turbat;
Dum ſæuitq; animis, nomenq; tuetur inane,
Scinditur & vulgus ſtudia in diuerſa potentum?
Nequis enim antè alios longè caput efferat omneis,
Arma petunt, vireſq; ſuas in viſcera vertunt.
Prò cui non omnes ſpolia, & ludibria mallent
Eſſe, vnquam imperio alterius quàm pareat alter?
Me duce Romulidas Cæſar, Latiumq; reliquit
Barbaricis latè prædam, & furialibus armis;
Threiciam Europæ in primo dum conderet vrbem
Limine, quæ regeret longas orientis habenas?
Aut qui, quas primo potuit reſtinguere motu,
Infelix Arabum hoſtileis adoleſcere flammas

Neglexit? prima illa tibi, cauſa illa malorum:
Tum metuiſſe tuis: tum propulſare labores,
Tum decuit, nunc ſera dolens; nunc ſera querelis
Ante patrem inſurgens nequicquam talia iactas.
Illa tibi, aſpicias, ingens reprimenda procella,
Arctois oriens dudum quæ ſæuit ab oris.
Ni facias, ruet inde furens, ruet omnia fundo,
Omnia: ſed dabit ipſa mihi, dabit improba pœnas.
Hæc Nemeſis flammato ore indignata fremebat.
Ætherei proceres muſſant, variosque volutant
Aſſenſus animis, ceu magni cùm freta ponti
Flamina concipiunt timidis præſagia nautis:
Murmura venturis tacitè increbreſcere ventis
Incipiunt; placidè ſale ſaxa ſonantia feruent.
Tum pater omnipotens, nutu qui cuncta gubernat,
Fatur, & extemplò ſuperûm concuſſa repreſſit
Pectora: tum ſiluere poli: ſilet alta tonantis
Regia: tum cecidit fragor omnis: & æquora placat
Nereus: omniuagam requieuit ſpiritus auram.
Ponite diſſidia, & placidas aduertite mentes
Cælicolæ magni: quæ ſtet ſententia dictis
Accipite intenti, atq; animis hæc figite veſtris.
Si mea progenies (nam vos meminiſſe poteſtis
Pulchra miniſteria, & quorum pars magna fuiſtis)
Deletura nefas, & compoſitura deorum
Atque hominum proprio ſanctiſſima fœdera pacis
Sanguine, iam terras cælo deſcendit ab alto:
Illius qui ſacra colunt, & numen adorant,
Indignum tot bella ſequi, tot ferre labores,

Siue errore malo Italiæ, auſpicijſq; ſiniſtris;
Seu veſtro hortatu; monitis ſeu mentis iniquæ.
At quia regna dedi nato ſine fine, neque vlla
Tempora præſcripſi rerum; ſedesq; potentum
In Latio poſui, fas eſt vt maxima Roma
Terrarum caput emineat, populisq; verenda
Omnibus imperium teneat, dum dulcia tellus
Secla propagarit, vitæque arceſſat in auras.
Multa illam oppreſſere mala; oppreſſere malorum
Crimina: quam, niſi pœniteat ſcelerum, impius hoſtis
Opprimet: aduerſusq; meos, qui iuſſa relinquant,
Vt ſit iuſtitiæ locus, arma inimica mouebo.
Væ tamen, immitis capiat qui tela, manusque
Vertat in Auſoniæ cladem, cædemque piorum.
Nec verò illa ruet penitus: ſua regna manebunt:
Admonitusque Dei tandem ſciat eſſe labores,
Quos tulit: vt puros animos mihi ritè pararet.
Nunc ſi non licet æternam componere pacem
Heſperiæ; at læti placidum componite fœdus,
Iuraque, & electas vrbeis defendite ab hoſte.
Sit'ne receptura antiquum, quod ceperat olim,
Imperium, vt cunctus iam latè rege ſub vno
Orbis agat, ritusque colat, nomenq; meorum,
Fata viam inuenient; ſinite, ipſa hæc fata gubernent.
Tu verò Nemeſis diuûm ſanctiſſima proles
Anguicomæ, iubeas, implacatæque ſorores
Excedant placidè Italia, & Laurentibus aruis:
Cedat & infelix rerum diſcordia, cedat;
Et tandem horrificis orci ſe condat in antris:

Sat tibi pœnarum terra ſoluëre, marique.
Dixerat; & ſuperis diuinum afflauit amorem:
Quò ſcelerum obliti, ſedato pectoris æſtu,
Heſperiæ flagrent ſtudijs; atq; ocia curent
Romulidûm. aligerumq; vocans, vigilemq; miniſtrũ,
Mercurium alloquitur variata veſte nitentem.
Plurima cui latè vbertas atq; aurea fandi,
Diuinumque fluit cœleſti è pectore nectar:
Horrida quo fretus placaret murmura ponti
Turbidaq; è toto depellat nubila cœlo.
Fide hominum cuſtos, interpres fide deorum,
Qui magno referens mortalia vota parenti,
Cœlicolûm defers celeres mandata per auras;
Vade age, paciferam, nodis, auroq; potentem,
Mulcentemq; iras virgam, colubrosq; prementem,
Immanes colubros, pacis qui munera turbant,
Accipe; & accitis Zephyris illabere pennis.
Bellonam alloquere, vnde illi fiducia tanta?
Nunquam'ne in Latio ferro ſæuire cruento
Deſinet? aut quis adhuc cogit furor arma vocantem,
Exultantem armis, mediaq; in ſtrage furentem?
Quis locus inſidijs? non'ne iræ, & cædis abundè eſt?
Auſoniæ parcat; pacemq;, fidemq; ſequatur:
Armataſque acies inimicas vertat in vrbeis.
Hæc ſumma, hæc ratio, hæc eſt & mea certa volũtas.
Illum, ſiderei terris qui numinis inſtar
Præſidet, & populos Romana terret ab arce,
Cui reſerare datum bipatens, & claudere cœlum,
Canicie immiſſa horrentem, macieq; ſuprema,

Et fletum lachrymis, & luctiſono vlulatu
Plurima mœrentum, ac miſeranda voce precantum,
Totá; animi curis agitatum, & ſæua querentem
Bella, quòd Heſperiam magnam, ſe præſide, totam
Euertant, ſolare ægrum, ſolare iacentem.
Ne ſuccumbat inops animi: neu turbine rerum
Aduerſo eiectum ſolio ſe credat ab alto.
Sumat mentis opem: inuictum ſe caſibus altè
Erigat: & latè Latium, Saturniaq; arua
Reſpiciat: populisque bonus ſuccurrat egenis,
Ipſe & amicitia reges, & fœdere iungat:
Quò magni Auſonidæ optata iam pace fruantur:
Et pia relligio vincat iura impia; & armis
Arma prophanantum ſanctiſſima templa repellat.
Ille potens atauis, & ſtirpe ab origine regum,
Magnanimus Cæſar, mea quàm iuſtiſſima cura,
Quem tenet antiquis gaudentem Hiſpania regnis,
Qua pingueis placido Bætis ſecat æquore campos,
Quâq; pater Tagus vndiuago diffunditur auro,
Ille aget inſigneis ſuperato ex hoſte triumphos,
Præſidium Heſperiæ, & decus indelebile Romæ.
Illum Tarteſſi cunctantem accerſat ab oris
Italiam, ad ſceptrum imperij, atq; inſigne ſuperbum.
Nec mora: cœlicolæ iuſſis parere parabant.
Somniferam ille capit virgam, Zephyriſq; vocatis
Aëra per tenerum ſubito volat igne coruſco
Ora ardens; roſeoq; ciet de vertice flammas.
Flamine tum rapido vectus latera alta Pyrenes
Cernit, quæ longè caput inter nubila condit

Piniferum, & flagrans latè fremit ardua ventis.
Cernit nubiſono pulſatas fulmine & Alpes,
Alpes, quæ valido præcinctam rupibus altis
Nequicquam obiectu Auſoniam tutantur ab hoſte,
Solis inacceſſæ radijs, ſæuisque procellis,
Culmine quâ ſummo ſe cæli ad ſidera tollunt:
Quinetiam quà præruptis anfractibus altè
Flumina præcipitant, gelidam qui fertur ad arcton
Rhenus, & humentum latè regnator aquarum
Eridanus, rapido Rhodanus male fidus & amne:
Tum qua perpetuis excurrit montibus ingens,
Italiamque pater mediam ſecat Apenninus.
Vt diuum imperio volucri pernicior euro
Auſpicijs lætis alto ſe mittit Olympo
Immenſum per inane volans Iouis armiger ales,
Cùm gemini veterem patris contendit ad arcem,
Seu ſacra augurijs ad culmina Pallantea,
Iam ſe ſe implumem, iam ſegnem ſe quoq; dicit
Increpitans vltro, donec clangore ſecundo
Leniter ingeminans ſpecula potiatur amata:
Aut nitida emicuit ſi quando lampade cælum
A' lęua longe irradians, fulgentibus alis
Extemplò liquidum volitare per æthera credas
Sidus inardeſcens facibus; cum, limite magno
Flammarum Oceani properans ſeu tendat ad vndas,
Seu Rhodopen, Othrynúe petat, ſeu Theſſala Tempe,
Aurea prælongo linquens veſtigia tractu
Labitur, & tenues procul euaneſcit in auras:
Illicet obſtentum mirata frequentia vulgi

Obſtupuit, felixq́ue tacens, fauſtumq; precatur:
Sic ille ætheriae lucis pulcherrimus auro
Ad latium accelerans nubes, ventosq́; ſecabat.
Vt primùm AEneadum auratis talaribus vrbem
Attigit, ingentemq́; ſuo de nomine molem,
Conſpicit orantem ſuperos, arasq; tenentem
Pontificem, atq; altis agitantem pectora curis:
Continuò inuadens dictis affatur amicis.
Magne pater, rerum in terris cui ſumma poteſtas,
Pone metum, & triſteis animo nunc exue curas.
Te pater ipſe deûm tam ſæpe in vota vocatus
Audyt, & puris tandem reſpexit ab aſtris:
Meq́; tibi hæc iuſſit celerem mandata referre.
Ne tanto ſuccumbe oneri: neu turbine rerum
Aduerſo eiectum tanto te culmine credas.
Accipe mentis opem: inuictum te caſibus altè
Erige: & inſano Italiæ ſuccurre labori.
Te dominum, ingenti ſummum te voce parentem
Illachrymans vocat; & ſupplex tua maxima poſcit
Præſidia, excipias implorantem auribus æquis.
Tu quoq; tu columen rerum, tu maximus author
Ipſe & amicitia reges, & fœdere iungas:
Quò parta Hæſperiæ terra iam pace, marique,
Auſonidæ magni exultent; viresq́; piorum,
Inuictasq́; acies furor horreat improbus hoſtis:
Et pia relligio tandem iura impia vincat.
Illum, quo rege armipotens lætatur Iberus,
Ad ſummum Auſoniæ decus, & clariſſima auiti
Sceptra voca imperij, quanta pietate videbis

Numen

Numen adorantem magnum; & tua iuſſa verentem.
Quanta illi in terris tantarum gloria rerum,
Quanta tibi extiterit: cælo quàm læta ſereno
Gaudia: mirus honos æternum vtriſq; per æuum.
Tantum effatus abit; Diuam, cui triſtia curæ
Bella, per Auſonios renouantem prælia campos
Conuenit; ac magni expoſuit mandata parentis.
Audijt, & ſubito poſitis petit æthera telis
Heſperiam linquens: pacemq;, fidemq; ſecuta
Inuiſum ardenteis oculos contorſit in hoſtem.
At pater ipſe potens ſupremo numine Diuûm
Territus aſpectu primo alipotentis, & ore
Sidereo attonitus totos expalluit artus:
Inde ſalutaris placidè cùm venit ad aureis
Nuncius, actutum monitis hortatus amicis
Spes animo cepit lætas; vultumque ſerenat
Haud aliter; quàm munitis qui præſidet oris,
Seu Cyrni regat ille ſinus, ſeu forte Sicanos,
Externis ſiquando animi ſecurus ab armis
Nil metuens, fidos vigiles dimiſerit omneis,
Et tamen ingentes voluat ſub pectore curas:
Proxima cùm videat ſubeuntem littora claſſem
Remigio accinctam, & fulgentibus armamentis;
Ne cladem, ne bella ferat, timet, inſcius vnde
Quærat opem, trepidans ſilet, atq; immobilis hæret:
Mox vbi paciferæ ramos prætendere oliuæ
Aſpiciat, ſeu vectet opes, & munera regum;
Seu ferat auxilium; ne quando hoſtilibus auſter
Improbus infeſtet pacatum nauibus æquor;

Inſperata olli pertentant gaudia mentem.
Tum pater imperio ſtatuit parere Deorum:
Et procul aligerum caſtis gratatus euntem
Proſequitur dictis, palmasque ad ſidera tollit.
Militiæ decus ætheriæ, qui ſæpe frequentas
Tecta hominum volitans cœli pulcherrimus ales,
Quas ego pro tanto meritas tibi munere grates,
Quas illi referam, qui te demiſit Olympo
Italiæ cladem ſpecula miſeratus ab alta,
Et me perpetuo ſuperum dignatus honore?
Hæc mihi clara dies cebrabitur omne per æuum:
Tu quoq; ſacrificis ſemper celebrabere donis.
Semper honoratum propria tibi nomen in arce.
I felix, i, præpetibus pete ſidera pennis,
Adſisque o bonus ante Deos, ante ora Tonantis.
Nec plura: extemplò legatos mittit ad omneis
Heſperiæ reges, placidamque expoſcere pacem
Iuſſit, & ætherei mandata referre parentis.
Continuò regum pia pectora iuſſa faceſſunt.
At Dea, cui pater ipſe Deûm diuina tueri
Omnia iura dedit, ſcelerumque repoſcere pœnas,
Imperio Diuûm cœlo demiſſa, ſorores
Luctificas iubet Auſonia decedere terra.
Illæ monſtrificos angues ſtridentibus alis
Attollunt, patriasque petunt nigra tartara ſedes:
Paruit & dicto inuiſum diſcordia numen.
Eſt locus Italiæ medijs in montibus horrens,
Iam latè externis fama memoratus in oris:
Quem tetricas iuxta tenet aſpera Nurſia cautes.

AEſtuat hîc cœno, vaſtoque Acheronte refuſo
Atra palus, fundoq; ignotam eructat harenam:
Ardua quam nemora, & loca nocte ſilentia opacant.
Nec procul abruptis exciſum rupibus antrum,
Antrum immane ingens, inferni ianua regis.
Peſtiferis, vt fama, aperit ſe faucibus orci.
Hîc quoq; fatidicæ monſtrantur tecta Sibyllæ
Horrenda: hinc ſæpe in dubijs reſponſa futuris
Credulitas ſibi vana petit, votisq; nefandis
Euocat horrificas Cocyti gurgite formas.
Tum ſi ſacra ferant, & multo ſanguine manes,
Prò ſcelus, excierint, infandaq; carmina fœda
Ore canant, mugire adytis audita profundis,
Et tremefacto ſolo circùm omnia viſa moueri:
Inuiſosque Erebi teſtantur adeſſe miniſtros.
Quinetiam ſtridens piceo cum turbine nimbus
It cœlo, ac ſubito ex oculis ſolemque, diemq;
Eripit, & terras ingenti murmure perflat:
Eruit ille ſata, & Bacchi felicia dona,
Dat ſonitum teſtis, & verrit ſaxa per auras.
Nam poſtquam Triuiæ Romana potentia lucos,
Et ſpecus immenſum ferro patefecit Auerni,
Atq; palam Euboicæ oſtendit mendacia rupis,
Cimerium tenebras Phœbi longæua ſacerdos
Effugiens, priſcas ſedes adijſſe quiritum
Dicitur, atq; Hecates inter ſecreta ſub altis
Montibus hac vaſta latuiſſe voragine Vates.
Condita qua terris infenſa, & triſtia cœlo
Numina iam curas hominum, Diuûmq; leuabant.

Protinus imperio magni domus alta tonantis
Panditur; & Latium deſcendere iuſſa parabat
Cara Deûm ſoboles: hinc recti mater amoris
Aetherias alias præſtantior antè ſorores
Alma venus: Charites Venerem comitātur euntem,
Diuinæ Charites; terris quæ læta miniſtrant
Dona Deûm: ſequitur pulchra ludente chorea
Harmonia, æternum toto quæ gaudia cœlo
Excitat, ac ſæuas Cœleſtum temperat iras.
Harmoniæ iuxta comites plauſusque, choriquè:
Nec procul aſpectu ſuperis optata voluptas.
Inde ferens niueam felix Concordia pacem,
Et totam æterno pacatam fœdere molem
Compoſito tandem inſano certamine rerum
Concilians. Olli ſociæ pulcherrima proles
Eunomies ibant; cœleſti Copia cornu,
Copia, perpetuò lætos quæ nectare Diuos,
Ambroſiaque explet; finemque datura labori
Tuta Quies; quæ ſola animos, motusque repreſſos
Cœlicolum cohibet, magnique ante ora parentis
Sidereo in ſolio dat ſeſe immota fruendam,
Mortaleſque polo deuenit rara penates:
Et ſuperis quæ grata, Salus, gratiſſima terris,
Tantum inuiſa atris horrendi manibus orci
Luctificos abigit morbos, vitamque tuetur.
It præ nuda Fides vittis innexa decoris
Agmen agens; rebusque ſoror ſpes læta futuris
Affuit; vt primùm terras accedere iuſſam

Audijt ætheriam tam pulchro ex ordine pompam:
Expectabat enim nitido pro limine Olympi.
Sunt geminæ cœlo portæ: quarum altera Cancri
Ignibus ardeſcit: latè aurea ſidera circùm.
Hinc ſe totam auro fulgere Lycaonis Arctos
Gaudet, & aurata impellentem Plauſtra Booten.
Hinc & ſanguineo flammarum ardore coruſcat
Sirius; & lectos iuuenes quæ vexerat, Argo
Aurea nunc totis apte circunnitet armis.
Ante fores genitor, cœlo cùm figeret aſtra
Spumantem pingui ſtatuit cratera Lyeo.
Hac animis terras facilis datur exitus imas,
Si quando induerint humanis corpora formis
Lethæo inflati iandudum pectora Baccho.
Altera flammifero longè præclarior orbe
Quà nitet auratis præfulgens cornibus altè
AEgoceros: latè magnis circundatur aſtris.
Emicat auricomis inſignibus inde Corona
Cæſaries quondam, nunc ætheris ornamentum:
Aurea thuricremis iuxta flagrat ignibus ara.
Hinc volucrum Regina potens fulgentibus alis,
Et flauo roſeum fundit de vertice lumen;
Diuinóſque puer radians dat pocula rores.
Hac iter eſt ſuperis: hac & cœleſtia terris,
Dona ferunt. Hîc inſomnis cuſtodia cœli
Sidereo currus pictos fulgore pararant;
Inſtratoſque auro alipedes, nitidoſque iugales:
Tum verſo æratos præpandunt cardine poſtes
Horæ, cœlicolis iam iam mortalia tecta

Venturis: fragor ingentem concuſſit Olympum,
Interea Diuûm monitis parere parabat
Magnanimus CAESAR,*magnãq́; accingere claſſem,*
Vt primùm accepit ſummi mandata Parentis.
Iam Ligurum Iubar æternum, qui Dorida nomen
Dorida Nereidum matrem, laudemque dediſſe
Inſignem proauis, atauiſque ab origine, gaudet,
Rettulit antiquos patriæ qui primus honores
Candida nauali redimitus tempora lauro,
Ductorem egregium Thuſcis accerſit ab oris,
Inſtructaſque iubet celerem ductare carinas.
Tum verò vt ſtudijs operum feruentia latè
Littora conſpexit, iamque omnia ritè parata;
Certus vela dare, accitos in tecta coegit
Regia delectos proceres, magnumque ſenatum:
Quo ſibi tot claris iam pridem Hiſpania regum
Sceptris læta placet; grauiter ſi fortè tuliſſent
Diſceſſum Regis nimio pietatis amore;
Ipſe animos placido affatu leniret amicos.
Conueniunt omnes, tacitiq́ue ſedilia complent.
Inde alto è ſolio dedit hæc exordia Cæſar.
Imperij pars magna mei, pars magna laborum,
Hiſpani proceres (nam vos & rebus agendis
Conſilijſque adhibere meis ſoleo) aſpera ſiqua
Bella fremant, placida populos ſeu pace regamus
Quodcunque ad regni decus, & memorabile nomen
Pertineat, perſpecta fides, perſpectaque virtus
Veſtra mihi pridem. Quanta nunc laude quod inſtat,
Quantũ opus aggrediar, ſi mentẽ ea cura remordet,

Accipite, atque intenti animos hûc vertite veſtros:
Hoſtis vt emineat terris ſuprema poteſtas
Cæſaris, vt ſuperûm æternos mereatur honores,
Cum Ioue diuiſum imperium qui dictus habere.
Ad tanta euectus iuuenis faſtigia rerum
Primus ego Hiſpanos Auguſto nomine Reges
Affeci. maiora tamen maiora ſuperſunt.
Regia Cæſarea triplici exornanda corona
Tempora: ne tantum videatur nomen inane.
Orbe triumphato magnum quæ condidit vna
Imperium, rerumque caput mihi terra petenda eſt,
Quæque dat imperij præclara inſignia, Roma,
Roma parens, priſca cuius de ſtirpe nepotes
(Gloria quæ veſtra eſt) patrio ſermone docetis
Vos eſſe, at quanto Romana potentia maior;
Tanto impenſius, & cura grauiore prematur;
Omnia quæ tandem pacata domique, foriſque
Protegat, & recta populos ratione gubernet.
Teſtor nanque Deos (neque enim ignorare poteſtis)
Inuitum me bella ſequi, niſi pacis amore.
Non equidem inſidijs aliena inuadere regna,
Sed mea conatus defendere; nec decus vllis
Eripere egregium, ſed tantum hæc ſceptra tueri
Ipſe mea. At verò paucorum dira cupido
Inuidiæ ſtimulis agitata heu quanta ciere
Funera, quàm magnas vrbeis euertere ferro;
Qui toties victi bello, tam multa parare
Bella audent Dis inuitis, & numine Martis,
Inuita virtute virûm, inuitaque Minerua.

Nec piget Italiam tantorum mole laborum,
Tot preſſiſſe malis vnam toto orbe parentem,
Omnibus & terris feſta ceruice verendam.
Auxilium petit illa meum: quam ſola tueri
Principis ipſa ſui præſentia poſſe videtur.
Qui etiam imperio excidium, ſacróſque piorum
Barbarus inſultans rapido minitatur ab Iſtro:
Quod me tangit opus, quæ nunc mea maxima cura:
Vnus enim Heſperiæ genteis, ritusque ſacrorum.
Armato debet tutari milite Cæſar.
At quia longum iter, & magnũ maris æquor arandũ,
Multa quoque & terris ſuperanda pericula, & altó,
Iam caro pariter regi, regnoque timetis:
Quòd ſine rectore æquoreis iactata procellis
Nautica ceu pinus inſano fluctuat æſtu.
Hic metus, hic amor, hæc pietas miranda meorum
Grata mihi in primis: tibiq; optime Maxime Diuũm,
Et Rex idem hominum mihi demandaſſe regendos,
Qui tanto ſtudio regem obſeruentque, colantque,
Gratulor, vt dignas nequeam tibi ſoluere grates.
Sed vos quem tanta colitis pietate, fideque,
Ne grauiter quæſo, nec iniqua mente feratis
Ad Latij ſummos victorem accedere honores:
Quod vobis etiam decus immortale futurum eſt.
Nec magis imperium magna ditione pararint,
Quam laudem imperij æternam per ſecula reges:
Nec verò, vt licet, imperitent, quia ſumma poteſtas,
Sed certè, vt decet. imperij tutela, decusque
Quacunque impenſa, quocunque labore tuendum

Qualis honos, quantuſque mihi; quæ gloria vobis
Veſtrum Pontificis decoratum tempora Regem
Aurea adoratis manibus fulgere corona;
Conciliaſſe omneis optato munere pacis
Relligione pios; & propulſaſſe Piorum
Immanem feritate noua ceruicibus hoſtem;
Atque egiſſe procul trepidantem milite Ibero;
Heſperiamque opibus totam inſtauraſſe potentem?
Veſtra mihi quærenda ſalus; populuſque, patreſque
Cura, laborq; meus; neque enim mihi ſoluere certū eſt,
Ni prius & vobis & regni ritè paratis
Conſultum benè ſit rebus, quin illud abundè
Lætandum, quòd veſtra fides mihi digna reperta eſt,
Qua fretus nullà verear mea regna premantur
Seditione graui: quamuis procul altera tellus
Me teneat. Sed nec deerit cariſſima coniux
Artibus egregijs regnandi, atque indole præſtans
Regina eximia, noua gloria gentis Iberæ.
Ipſe aderit magnum noſtri iam pignus amoris
Filius, & cari non falſa parentis imago
Regia: quo puero vobis iam regis in ipſo
Inſtar, & antiqui elucet ſpes optima regni.
Iam verò vt benè de noſtro ſperetis ad oras
Auſoniæ acceſſu, fatis, & carmine vatum
Accitus toties terrarum ad ſceptra ſuperba
Pontificis vocor admonitu, imperioque Deorum.
Quare agite ò Proceres læti nunc ſancta petamus
Templa Deûm, et quod ſit felix, fauſtumq; precemur:
Aſpirentque meis cœleſtia numina cœptis.

His dictis animos laudum inflammauit amore,
Spemque dedit lætam dubijs, ſoluitque timorem.
Continuò delubra adeunt, votiſque vocarunt
Numina cœleſtum, cumulantque altaria donis.
Ipſa preces geminat caſtas, & templa frequentans
Nocte, dieque orat ſupplex; diuoſque fatigat.
Pyrene occiduis magnum decus addita terris;
Cara Deûm ſoboles Pyrene: cui dedit vni
Quicquid habet fortuna potens; quodcunque beato
Læta fouet gremio, claroſque afflauit honores
AEneadum genitrix, & pulchræ lumina formæ;
Quæ latè tot ſceptra tenet, tot maxima regna.
Nanque pia ſic voce manus tollebat ad aſtra.
AEtherei proceres; quorum cœleſtis origo
Corporea ſine labe vlla; & qui mole relicta
Terrena æternum meruiſtis ſcandere cœlum,
Et vacuos complere foros, ſedeſque beatas
Ante Deum, mentemque oculis explere tuendo;
Quem vidiſſe palàm iam cuique ſuprema voluptas;
Munere ſi veſtro diuinas fertur ad aures
Vox hominum, redditque haud irrita vota precantũ
Omnipotens, terraſque alta miſeratus ab arce
Expectata diu confert cœleſtia dona;
Ferte pedem, & palmis hæc implorata ſupinis
Accipite, & per vos ſummi regnator Olympi
Audiat, & tandem oranti ſe præbeat æquum:
Det facilem noſtris pacata per æquora curſum
Claſſibus, & ſternat flauenti marmore pontum;
Vt meus hic Cæſar felici ſidere ad oras

Nauiget Auſonias, & victor denique terram
Hanc repetat ſummo imperij decoratus honore:
Si pietas pergrata, colit quæ iura ſacrorum,
Quæ patrios ſeruat ritus, quæ ſancta tuetur
Iuſſa patris magni, & venerandum numen adorat
Relligione pia, nec non & fortibus auſis
Templa iuuans, reijcitque procul genus omne profanũ:
Sic veſtrùm æterna nemo non pace fruatur,
Inque dies, ſiqua liceat, maiora beatos
Gaudia pertentent animos, imponere & aris
Thuricremis gratos nunquam deſiſtat honores
Nuda fides, cumuletque altis donaria templis.
Tum comites centum forma ſuperante puellæ,
Inſignes pueri centum ſimulachra tenentes
Sancta Deûm, & pedibus figentes oſcula blanda
Hæc orant eadem, totoque ex pectore poſcunt.
Excipiunt ſuperi actutum: quos deinde precantes
Audijt ipſe pater: fuluaque in nube ſedentem,
Spectantem terras, quædam & noua fortè parantem
Iunonem acciri iubet: & ſic ore profatur
Attentans, animo coniux quid volueret alto.
Nunquid adhuc tantos imo ſub pectore fluctus
Irarum voluis Saturnique altera proles,
Et germana Iouis? deſpectæ iniuria formæ,
Et rapti Ganimedis honos, & Dardanus hæret
Arbiter vſque adeò male ſana in mente? neque vlla
Te mouere preces, vt tanto imponere bello
Conſtituas finem, totumque agitare per orbem
Dardanidas tandem abſiſtas? num vulnera telis

Amphitrioniadæ ſub dextram illata papillam
Sæua recrudeſcunt? etiam Tirynthia mentem
Coniugia exagitant, odijs vt ſemper iniquis
Iactetur genus Herculeum, æternumque laboret?
Aſt vbi mortales Tirynthius exuit artus
Inque Deos adſcitus obit, ſaturata furore
Tandem illum amplecti natæ optatis hymenæis
Viſa es; & exciſæ poſt impia funera Troiæ,
Additaque Aeneæ Indigetis poſt numina cælo
Fouiſſe Aeneadas Latio cum ſanguine miſtos:
Cùm gens nulla tuos æquè celebraret honores.
Quare age, & inceptum, ſi quid moliris inane,
Omitte, & fruſtra abſiſtas contendere fatis:
Cede viro, ac tandem te victa, volensq; remittas,
Si pergas infeſta Iouem iritare dolore
Quam primum haud ſimilis cõmiſſi pœna luenda eſt:
Quis veſtrûm ignorat quanto mihi robore vires?
Hæc ait, & vultu tremefecit pectora Diuûm.
Perſenſit pauefacta virum, timuitque minantem,
Et cælo exceſſit Iuno, nubemque reliquit
Ille Deûm dextra rapiat quencunq; per auras
Torqueat in tenebras celerem ſub tartara cæca,
Quâ ſtrident barathri ferrato cardine poſtes.
Quod tantum in præceps vacuo ſe mittit ab orco,
Quantum ſe tollit cælum telluris ab orbe.
Cumque nec aurata vinctum ſi forte cathena
Raptare inferius conentur viribus æquè
Dijque, Deæque omnes, deturbent æthere ab alto;
Ipſa cum terra, cum ipſo maris æquore toto

Ille omneis traheret Diuos, cœlumq; profundum:
Aurea dehinc ſummo nectens in vertice Olympi
Vincula, cuncta iterum ſublimia redderet vnus.
Quid memorem, ſuperis nequicquam pellere regnis
Iuratos, regemq; poli vincire ſupremum
Cœlicolas? vt ſidereis detruſerit idem
Sedibus? vt medio ſæuam ſuſpenderit axe
Iunonem aërijs pendentem nubibus altè;
Aptarítque pedes geminis incudibus imos,
AEtherioque manus auro poſt terga reuinctas?
Quam glomerata manus fruſtra miſerata Dearum
Eripere haudquaquam potuit. Quin protinus auſum
Auxilium vinctæ Vulcanum afferre parenti
Raptatum pedibus ſummo deiecit Olympo:
Ille die tota liquidis deuoluitur auris:
Cùm ſe præcipitem demiſit ad æquora Phœbus,
Occidit in Lemnum exanimis: quem Sinties vltro
Excepere boni, & claudum fouere cubili.
Ergo vbi ſe cœlo amouit Saturnia Iuno;
Iuppiter omnipotens oculos in littora vertit
Heſperiæ, celſaque Irim demiſit ab arce;
Quæ primùm volitans rapido velocior auſtro
AEoliam peteret tempeſtatumque potentem
Dehinc late vndiſono regnantem Nerea ponto.
Nam genitor Diuûm, vt perhibēt, rerumq; repertor
Ordine qui certo poſuiſſet ſingula circùm,
Fœdere conſtantem æterno cum conderet orbem,
Quamuis ipſe ſuo latè regat omnia nutu
Et maria & terras animamque, & ſidera cœli,

Immotusq́ue agitet mole, & ſe corpore toto
Miſceat haud vllo commiſtus ſemine rerum;
Quæquæ ſuo iuſſit ſub numine regna teneri.
Scilicet innumeras non vno nomine vires
Diſtribuit vis illa omneis diffuſa per oras;
Nomina cui prorſus mille, ſceptra aurea mille,
Mille poteſtates. Iam verò nuncia Diûm
Alipotens ibat celeres demiſſa per auras:
Candida purpureo vultum ſuffuſa rubore,
Cęruleasq́ue immiſſa comas per lactea colla
Verſicolor nebulæ vario velatur amictu:
Lumine quem Phoebe roſeo diſtinxit, & auro,
Natarum Phoebe longè gratiſſima Phœbo,
Addidit irradians gemmas, viridesq́ue ſmaragdos
AEtheris; vt plures aduerſa luce colores
Illa trahat, quam Iunonis pulcherrimus ales
Stellata referat cauda, & per colla decora.
Proxima Trinacriæ Thuſcis in fluctibus antra
Inſulæ AEoliæ regis ſtant nomine dictæ,
Qua maria alta ſonant, anguſti clauſtra Pelori
Dum ſubeunt, Scyllæq́ue fremunt in littore monſtra:
Quas inter latebras flagrant Vulcania ſaxa,
Horrificisq́ue tonant crebro tremefacta ruinis:
Interdum attollunt puras ad ſidera flammas;
Maioresq́ue cient ima de ſede fragores:
Interdum piceo fumantem turbine nubem
Prorumpunt, ſolemq́ue oculis, atque æthera tollunt:
Interdum eructant nebulam candente fauilla.
Hoc ſpecus, vt fama eſt, exeſo hæc pumice tecta

Ignipotens habitat, claro demiſſus Olympo
Cùm ſæua ille patri molitur fulmina magno,
Hîc validos Brontes duplicans incudibus ictus;
Hîc Steropes, hîc membra ingẽs, nudusq; Pyracmon
Cyclopes ferrum exercent, ærisque metallum.
Auditi reboant gemitus; antrumque remugit
Fluctibus in medijs; chalybumq; liquentia crebris
Flumina labuntur flammis, ſtriduntque coacta.
Hæc Iouis imperio rapidis loca fœta procellis
AEolus accepit ſumma ditione tenenda;
Clauderet vt duro luctantes carcere ventos;
Ne mare, ne terras rapiant, cælumque per auras:
Sceptra tenens regni celſa ſedet arduus arce,
Et dictis reprimit, ventorum aut excitat iras,
Poſtulat vt ratio, Diuûm que æterna poteſtas.
Hûc tandem vt volitans venit Thaumantia proles
Et roſeis plantis, & verſiculoribus alis,
Conſtitit innitens, ad regem his vocibus vſa eſt.
AEole, tam pulchra, & tanta quem prole parentem
Regnator ſuperûm fecit; lateque potentem
Nimborum, inſanos vento cui tollere fluctus
Et placare dedit, tempeſtatesque ſonoras;
Ipſe tibi Diuûm genitor me mittit ab alto
AEthere, & hæc iuſſit celerem mandata referre.
Magnanimus Cæſar, quo Dijs non carius vllum,
Nec maior quiſquam toto dominatur in orbe,
Antiquam petit Italiam, ſceptrumque ſuperbi
Imperij monitis Diuûm, iuſſisque vocatus
Pontificis magni: inſtructa iam claſſe parauit

Vela dare; & totum infido ſe credere ponto.
Solue age nunc Zephyros; laxas da lætus habenas;
Flantibus vt claſſem felicibus aura ſequatur,
Auſoniæ teneat curſu dum littora terræ.
Cætera ventorum coecis claudatur in antris
Turba; aduerſa ruat ne ſæuis acta procellis.
AEolus hæc illi iuſſis parere paratus.
Cælicolùm interpres pulchro decus addita cælo
Iri, Iouis magni mandata capeſſere fas eſt.
Si quæcunque mihi, ad regem iam quicquid Iberum
Attineat, cur id certè non ocyùs ipſe
Exequar? his latè noſtris cùm regnet in oris,
Cui tot ab Herculeis maris æquora fuſa columnis
Ionios vſque ad fluctus, tot littora parent.
Dixerat. Illa ſecans longum ſub nubibus arcum
Deuolat, & ſubitò rapidas delapſa per vndas
Nerea purpureis inuadere roſcida pennis
Feſtinabat aui ſimilis, quæ curua frequentat
Littora, piſcoſosque ſinus, cùm vertice montis
Ex alto ad fluctus toto ſe corpore mergit;
Nec prius aërias volitans ſe tollit ad auras,
Quàm medio in pelago præda potiatur amata,
Haud ſecus Aeolio veniens Thaumantias antro
AEquoreasque plagas, ventosque interſecat alis.
Ipſe toro pater herboſo tum fortè ſedebat,
Quà reboant caua ſaxa vadis ſub gurgite vaſto
Fluctiſonas inter ſpeluncas, maximus æuo,
Omnia qui nouit veri inflammatus amore
Inſignis grauitate ſenex, qui iusque, piumque

Semper amat, ſemperque odit mendacia, Nereus,
Progenies magni Nereus clariſſima Ponti:
Cui dedit ipſe parens quondam maris humida regna;
Id que ratum omnipotens habuit rex, optimus author;
Egregiam peperit ſobolem cui candida Doris.
Innumeræ circum carpebant vellara Nymphæ,
Mulcebantque ſenis blandæ ſermonibus aureis:
Ipſaque Nereidum longè pulcherrima Glauce
Triſtia iucundo lenibat pectora cantu;
Pectora tot rerum & tantas agitantia curas.
Nam Iouis ad citharam denſos cantabat amores;
Vtque Ixionia pulchra de coniuge prolem
Tartareas auſam Ditis penetrare latebras;
Et pluuio clauſæ Danaë ſuſceperit auro
Gorgonei præda gaudentem Perſea monſtri;
Quin & tot ſpolijs & tanta cæde ſuperbum
Amphitryniaden celatus imagine falſa:
Vt ſatyri formam indutus Nycteida fœtu
Impleriit gemino: vt ſerpens Deoida, vt ignis
Ceperit Aſopi natam, vt candentibus alis
Tyndaridos matrem; Titanida luſerit ales
Armiger Aſterien; & quos cùm fulmina torquet,
Hos referens vultus alta ſub nube coruſcos
In Semeles gremium ætheria deſcenderit arce.
Connubio iunctas addit: quarum optima Metis
Plurima Cæleſtum, mortalia plurima nouit
Ex hac nulla Ioui ſoboles: cùm fata iuberent,
Si qua virilis erat, diuûm que, hominumque potentem
Hanc fore, quæ latè cœlum, terraſque teneret.

Tunc canit vt ſoror, & coniux Saturnia Iuno
Sancta viri placido perfudit membra ſopore;
Quæque dolos tendunt, quæ dulcia vincula nectunt,
Quæ mentem abducunt, quæ fortia pectora vincunt,
Lætitiam quibus ipſa, altumque inſpirat amorem
Alma Venus; gremio tulit aurea cingula flagrans.
Tum verò hæc eadem quoties irata dearum
Maxima; præferri nullam non ſæpe videret
Cùm ſibi mortalem; & Iouis aſcendiſſe cubile;
Lumine quæ læto, & forma ſuperante placeret,
Tum canit vt Thetis ante omneis venerãda ſorores
Coniugio tantum non iam dignata ſuperbo,
Cara Ioui magno ingentes meruiſſet honores.
Quippe illum inſidijs diuûm, vinclisque paratis
Eripuit, Bacchumque cauis ſuſcepit in antris
Arma bipenniferi fugientem ſæua Lycurgi.
Saturno genitam thalamo pepuliſſet ab alto;
Ni fore, quæ patrem ſuperaret, fata dediſſent
Illi progeniem magnis virtutibus auctam.
Felix prole tamen: Quis enim non nouit Achillem?
Tum Venerem laudat ſpumanti gurgite natam:
Iudicio Paridis quam prætulit omnibus vnam
Cælicolis, ſeu ſpectaret, quæ cuncta creaſſet
Vis æterna Deûm; ſeu quæ ſuſtentet, alatque
Omnia, ſeu quæ diſtribuat quæque ordine certo,
Seu quæ concordi diſcordia fœdere tandem
Conciliet, ſeu quæ diuino fomite flammam
Incendat; tumque ad ſuperos cæleſtibus alis
Inferiora trahat, ſuperûm tum pectora pulſet,

Qui rerum flagrent ſtudio, & martalia curent.
Ab Ioue tum magno gemina de ſtirpe canebat
Progeniem, Heſperio quæ iam regnaret in orbe,
Et genus Herculeum, & Troianam ab origine prolem.
Gerioneque refert extincto vt iura dediſſet
Hiſpanis, natoque vt regna paraſſet Ibero
Alcides: hinc illa potens, atq; inclyta regum
Progenies latè iam tot dominata per annos.
Quid referam? aut qui Cantabros in tuta receptos
Ardua, relliquias Arabum munimine ſeruet
Vnus, & extremæ tutando reſtituat rem
Heſperiæ; aut, felix quæ deinde ſecuta propago,
Qui longè eijciant Pœnos, atque arua receptent
Iam pœnis regnata diu, ritusque ſacrorum
Inſtaurent; qui dehinc pulſis vix regna relinquant
Bætica; qui tandem victos procul arceat oris
Occiduis, Libyæ campos populetur, & vrbeis;
Narraſſe? aut Siculum peperit qui primus Iberis
Imperium; quique in Latio ſceptra aurea primus
Cepit, & Hiſpanum factis extendit in omnem.
Italiam latè nomen, laudemque petiuit
Inſignem; toties Gallos qui fæda coëgit
Terga dare, & fuſos Itala decedere terra?
Tum canit, vt ferro Scythicas penetrauit ad vrbeis
Obliquosque ſinus ponti, Mæoticaque arua
Agmine tranſmiſit magno, Tanaimque niualem
Laomedontiades heros, & Dardana pubes.
Hercyniumque nemus, fontemque binominis Iſtri
Vi multa vt ſuperent, quos de hinc dixere Sycambros,

Tempore poſt longo regis cognomine Francos:
Vtque amnem Rheni rapidum, campoſque patenteis
Traijciant; Galliſque adimant cum nomine vires;
Quaque Alpes celſum caput inter nubila condunt,
Qua fluit occanus, magno qua flumine Rhenus,
Vertice qua ſummo Pyrene ſidera pulſat,
Imperij ſtatuant fines, & nobile regnum.
Vt teneant latè Latium ſub legibus orbem
Auguſti, & Romæ ſummo decorentur honore:
Vtque pio magnum venerentur pectore numen,
Et ſancta in terris defendant iura Deorum.
Nanque eſſe in fatis Troiano à ſanguine natum
Deberi imperio rerum per ſecula regem,
Florere & geminas pulchro de ſemine Teucrûm
Europa in magna ſtirpes, Laurentibus aruis
AEneados Veneris ſobolem, gelidoque ſub axe
Priamidas, quâ lætatur Germania prole:
Altera ſiquando exareſcat, vt altera latè
Floreat, & nunquam Teucris non pareat orbis
Romuleus; Teucrûm cœlo ſe gloria tollat.
Addit & vt reges miſit Germanus Ibero
Dardanidas: quorum ducebat ab Hercule magno
Maternum genus, & claros referebat honores.
Vt toto emineat nil te felicius orbe,
Nil magis inuictum Cæſar, nil denique maius:
Vt mare veliuolum tibi cedat, vt arduus æther
Militet, vt paſſim vires tibi Dædala tellus
Præbeat: vt Diuûm genitor te diligat ipſe,
Te ſuperi foueant omnes, te pectora regum

Alta tremant, victiſque tuo ſit gloria Marte
Hæc, fata Hectoridum referens, & plura canebat
Nerine: doctis reſonabant verſibus antra.
Carmine quo nymphæ allectæ dum mollia fuſis
Penſa trahunt; altoque pater ſub gurgite Nereus
Priamidum gaudens audit fama inclyta facta.
Ante ſenem aſpectu mirabilis affuit Iris
Sedibus in vitreis; & coràm talia fatur.
Nympharum pater & latis regnator in vndis
Iam ſenior venerandæ tuas nunc detinet aureis,
Iam tua nunc varium demulcet pectora carmen:
Ipſa ad te venio cælo demiſſa ſereno,
Imperioque Iouis iuſſa hæc tibi ferre per auras.
Noſti quem ante alios heroas diligit omneis,
Omnibus & rerum dominis quem prætulit vnum
Iuppiter, & regem Heſperio delegit in orbe.
Nam meminiſſe potes, de quo iam plurima vates
Dixerunt, tuque in primis oracla dediſti
Clara olim, & Solymis ſuprema in ſede locaſti.
Ille petit Latium gemmis decorandus, & auro
Imperij, curuoque ingentem in littore claſſem
Accinxit: tu da pacatum nauibus æquor,
Sterne maris rapidos immoto marmore fluctus.
Ipſæ Nereides ducant per cærula puppes,
Per vada, per ſcopulos, per tot diſcrimina tutas.
Dixerat; & flauis extemplò fluctibus altè
Subuolat, ac cælo paribus ſeſe extulit alis.
At genitor Nereus imo ſub corde volutans
Fata Iouis, ſancto quæ iam reſerauerat ore

Cæſare de magno; ſuperûm mandata capeſſit.
Cæruleis canum placidè caput altius effert
Sedibus, & ſcopuli ſummo de vertice circum
Omnia colluſtrans oculis, ventoſque, fretumque
Temperat; & ſiquid longè de nube remota
Triſte minaretur, ſiqua inſpectaret ab vlla
Parte poli ſæuæ præſagia dira procellæ;
Aëre purgato tranquillum reddidit æquor;
Atque iter Auſonias tutum patefecit ad oras.
Nequa tamen placidas ſurgens inopina per vndas
Diſijciat'ue rates pelago, curſum'ue retardet
Tempeſtas, ne quem medijs in fluctibus æſtum
Ignaræ ſubeant, ne in ſaxa latentia naues
Inciderent; natæque, & cætera numina ponti
Sint præſto iubet, ac ſocio læta agmina plauſu
Incolumem toto deducant æquore claſſem
Cæſaream: accingunt ſe Nymphæ, ac cærula pubes.

INterea Cæſar magna iam claſſe parata
Vela aptare iubet, remoſque, & ſoluere portu,
Feruida cùm terras torrerent ora leonis
Siderei, & tardis flagraret menſibus æſtas.
It cælo clamorque virûm, clangorque tubarum;
Ænea rauciſonis implerunt æthera bombis
Tormenta: inſonuere cauis ſub rupibus antra.
Extemplò Zephyri tendunt felicibus auris
Carbaſa; fluctiuagum quos maturare volatum
Iuſſerat, & paſſis volucres dimiſerat alis
Imperio diuûm celſa pater Aeolus arce:
Cætera ventorum ſpeluncis clauſerat atris
Flamina, tum primùm Barcinia littora linquit;
Dehinc ſuperat curſu Blandæ iuga proxima cautes.
Hîc Nerei proles medijs caput extulit vndis.
Protoque, Clymeneque, Lygeaque, Pulynomeque
Squamigeras agitant bigas, & lora retorquent.
Prymnoque, Spioque, Pheruſaque, Glauconomeque
Et Panope, Meliteque, atq; vndinaga Amphitrite
Delphinum inuectæ dorſo lata æquora tranant.
Hipponoeque, Eratoque, Thaliaque, Paſitheeque,
Atq; Ephyre, atq̃ Hyale, & pulcherrima Protomedea
Cærula verrebant innantes gurgite vaſto
Ocyrhoe, & formoſa Thetis; legere altera conchas
Docta inter ſcopulos, nec non affixa ſub vndis
Oſtrea prærupto digitis euellere ſaxo;
Hærentesque vadis ſpinoſo tegmine echinos,

Altera vimineis piſcoſo in gurgite naſſis,
Et calamis mutos hamatis fallere piſces;
Ac tandem fluctus linquens Galathea Sicanos
Agmina cogebant Nympharum læta ſororum.
Ore omnes nitido, ſuccinctæ pellibus omnes,
Omnes Cæſariem fuſæ per candida colla.
Inſequitur Glaucique manus, Phorcique caterua
Tritonum intermiſta choris: tutumque per æquor
Ordine non alio pulchram circundare claſſem
Et vectare inſtant, quàm quo peruectus Arion:
Carmine dulciloquo, & cithara qui fretus in vndas
Ionias puppi ſeſe proiecit ab alta;
In fandæ fugeret cùm ſæua Cupidinis arma
Illum lætantes non æquo pondere iactum
Ilicet excipiunt delphines, onúſque viciſſim
Dehinc ſubeunt; donec Neptuni in littore ſiſtant
Incolumem; rectéque canent, ſiqua aſpera pōti
Saxa latent; fugiunt ſcopulos, ſcopuloſaque Cete.
Agmen agunt partim, partim latera vndiq; cingūt,
Ponè ſequebantur tranquilla per æquora partim.
Turba ingens pompæ ſpeciem reddebat ouantis.
Haud aliter ducunt pelago vaga numina claſſem
Cæſaream; flectúntque viam, ſi qua horrida cautes
Occurrat; ſiqua vnda vadis efferueat imis,
Auertunt proras, & tuto tramite curſum
Ipſa regunt, ſpumaſquo cito ſalis ære ruebant:
Linquitur & ſciſſis deſcripta in fluctibus ingens
Semita. Iam tum monſtrificos mirantur Iberi
Vultus, mirantur Ligures, miratur & Ipſe

Magnanimus Cæſar; fuſamq́ue liquentibus vndis
Vim cœli agnoſcit, totumq́ue id munere Diuûm
Ritè datum, & duplices tendens ad ſidera palmas
Gratatur ſuperis, & magnum numen adorat.
Tum Pronoe virgo Nerei mens alta parentis,
Nympharum Pronoe ſuperûm cariſſima regi,
Veridico ſemper quæ prodidit ore futura,
Stans celſa in puppi, qua Cæſar vectus, & ipſe
Dux Ligur, vndipotens clauum cùm dextra teneret,
Talia fatidico fundebat carmine vates.
I decus Europæ felix, i ſumma poteſtas.
Heſperiæ magnæ, & gentis regnator Iberæ,
Cui maria, ac terræ parent quà claudit Olympum,
Et quâ ſol aperit; cuius quondam inuia ad arcton
Æquora, & auriferos longum patefecit ad Indos
Claſſis iter; duro toties qui Marte ſuperbos
Viciſti Gallos, captosq́ue in vincula reges
Traxiſti, paruaq́ue manu tam multa fugaſti
Millia; vt Auſoniis teſtantur flumina campis,
Flumina, quæ rapido curſu tam ſæpè repreſſo
Barbarico liquidos fœdarunt ſanguine rores.
I, pete nunc Latium decus, atque inſigne ſuperbum
Quod tibi, Romana qui terret ab arce piorum
Edictis animos, & præſidet arduus orbi
Heſperia, ipſe pater magnus dabit: ipſe coronam
Tempora Cæſaream inducet flauentia circum.
Quam ſecat Adriacus non magno flumine Rhenus,
Hæc delecta, tuos olim vt ſpectaret honores,
Diues agri tellus: Capitolia celſa tenere

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Fata negant: vires aderunt, ſi tanta cupido
Te capiat: Sed cede Deo, ac diuina tuere.
Hinc patrijs latè regnis Germania mater
Te lætum accipiet; iamque impia ritè notantem,
Mulctantem ſcelera, & ſanctiſſima quæque probãtem
Aſpiciet; moreſque tua pietate receptos
Agnoſcet, rituſque ſacros, & templa deorum
Iam deſpecta colet: tum coniectura profanos
Priſca refellentes iura, & per multa nouantes
Crimen in authores, cauſam & cõfeſſa malorum,
Pontificum iuſſis tandem parere parabit.
Te duce tela manu capiet gens Itala bello
Inclyta, Germanuſque ferox, atque acer Iberus,
Barbara Pæonijs iterum cùm ſæuiet aruis
Turcarum rabies duros preſſura Sueuos;
Et ferro excidium Heſperijs minitabitur oris.
Iam fremere Europam, lateque ardere ſub armis
Hinc video, Inde Aſiam ſe totam effundere campis.
Iam litui reſonant; iam cornua rauca minaci
Murmure perſtringunt aureis; iam ad ſidera tollunt
Turbine cùm piceo nubem, & candente fauilla
Æra tonant; iam cornipedum quatit vngula terrã;
Iam miles deterret equos fulgore coruſco,
Atque leui durum tentat certamine Martem.
At veritus tanta pugnæ ne mole prematur
Barbarus infelix non ſuſtinet ora tueri
Cæſaris audacter iandudum ab bella ruentis.
Denique collatis metuens decernere ſignis
Te fugit, & reducem putat effugiſſe triumphum.

Tu ſeptem gemini labentia victor ad Iſtri
Flumina tum pones depulſo ex hoſte trophæum.
Quin etiam ærata complebunt æquora claſſes;
Altera iam numero præſtantior; ordine, & armis
Altera, & inuicta virtute audentior ibit:
Hinc procul inſtructo fluctus iam Marte ciebunt
Ionios; Veneta ſemper notiſſima clade
Inſula ferueſcet latè: tremet alta Methone
Ipſe tuo imperio, belli cui maxima ponto
Gloria, præfulgent cui tot roſtrata coronis
Tempora, dux Ligurum ſuperabit ſaxa Zacynthi
Ardua, Dulichiumque, & regna immitis Vlyſſi,
Atque Coronæas tandem peruenerit oras.
Barbara tum claſſis fugiet pauefacta per vndas
AEgeas, latebraſque ſali, tutoſque receſſus
Quæret, & anguſtis ſe faucibus Helleſponti
Condita ſeruabit: tum nauibus ille Coronen
Expugnabit, & ingenti vi muniet vrbem.
Diripiet curuo poſitas in littore Patras,
Dymamque, AEgialũ, & Rhypas, clariſſima quõdã
Nomina, nunc fama veterum vix cognita terris:
Eriget illa dies Spartamque, & mœnia Cadmi
Expectata diu, & doctrinæ lumen Athenas,
Spe mira: vt iam barbarico ſua libera tandem
Colla iugo, & patriam credant ſe cernere Graij
Seruitio exemptam, diuinaque templa recepta.
Tu verò felix terraque, marique ſuperbum
Victor ages currum, Hiſpanis iam redditus oris.
Magna hæc magna quidẽ: & longè maiora ſuperſunt,

Agnoſcas ſi fata; vetat quæ prodere Nereus.
Hæc Phœbum omnipotens regnator, Nerea Phœbus,
Me genitor Nereus docuit; tibi maxime Cæſar
Nunc ego Nereidum Pronoë non vltima pando.
Dixerat; & proras tum læua ad littora vertit.
Obſtupuere omnes; tacitoque hæc omnia læti
Pectore ſeruabant, & Rex tum ritè vocatis
Ipſe pios meritò ſuperis indicit honores.
Iuppiter omnipotens, oculis præcordia totis
Intima qui penetras, atque omnia cernis ab alto
AEthere, ſi Latio ſemper defendere in orbe
Ocia, & optatæ felicia munera pacis,
Si fas omne tuum ſemper mea maxima cura,
Da pater Italiæ portus, vrbesque tenere,
Temporaque ornatu imperij fulgere decoro;
Et tandem Europæ penitus depellere regnis;
Barbarica qui fretus ope intulit impia bella.
Sic ait; atque animo voluit, quæ maximus æuo
Effari probibet Nereus; quæque augurat, optat.
Tum legit Emporias pelago prouectus Ibero
Cùm ſol oceani Heſperias properaret ad oras.
Inſula iam quondam fuerat, de hinc addita terræ
Littore in extremo; nomenque Palæpolis vrbi:
Phocide deductos perhibent tenuiſſe colonos.
Hanc petit: hoc hærens portu tenet anchora naues.
Poſtera Tithoni linquens aurora cubile
Iam roſeo totum fundebat lumine cælum;
Cùm Zephyris Cæſar ſpirantibus iret in altum
Nereidum magno in numerum ſtipante caterua.

Haud procul antiquà ſe oſtendit ab arce Diana;
Poſthabita coluiſſe Epheſo quæ more vetuſto
Dicitur hanc terris longè magis omnibus vnam.
Tum Rhodopen ſubeunt, Rhodios poſuiſſe colonos
Fama vetus, tutóque manent in littore puppes.
Iamque rubeſcebat Phœbea lampade pontus,
Nigrantemque polo Titan dimouerat vmbram;
Remigio volitat pelago cùm præpete claſſis:
Nec mora, dehinc optata inflatur carbaſus aura.
Protinus apparent magni memorata trophæa
Pompeij, ac latè quondam victricia ſigna.
Tum fida ſtatione iugis aperitur ab altis
Pyrenæa Venus ponens diuortia Iberis
Æterna à Gallis, placidóque in littore naues
Accipit: incumbunt remis, proraſque retorquent.
Hinc ſeſe attollunt præcelſo ad ſidera montes
Vertice, Pyreneſque tenent per ſecula nomen.
Pyrene vt fama eſt vtero conceperat olim
Hactenus intacto præclaram ex Hercule prolem
Regna paraturam Hiſpanis, & iura daturam:
Mox patrias fugiens iras nemoroſa ferarum
Luſtra petit, ſyluiſque virum cùm fleret in atris
Abſentem, ac longò nimium promiſſa trahentem
Tempore, & impleret crebris nemus omne querelis;
Speluncis ſua fata dolens memorabat opacis.
Quam miſerata Venus, ludens cùm forte choreas
Lætantes inter Dryadas tam multa querentem
Audiſſet, nympharum antiqua in tecta vocauit;
Admiſtamque choris ſyluarum habitare receſſus

Iuſſit, & ambroſios pallenti afflauit honores.
Iam verò extremis victor remeauerat oris
Bebryciam repetens aulam Tirynthius heros;
Pyrenenque vocat, celſiſque in montibus errans
Pyrenen quærit, Pyrenen vocibus altis
Nequicquam ingeminat: Pyrenen littora nota,
Pyrenen procul antra ſonant: Vox reddita certat,
Vt fera, cùm repetit caueam Garamantida raptis
Iandudum catulis, quæ plena det vbera natis,
Haud mora, tum late ſyluas, monteſque pererrat
Infrendens, ſæuaque volans ſe concitat ira.
Heu miſer heu, ſolis quicunque vagatur in aruis.
Obuia quæq; furens delet qua fertur, & ore
Frangit ſaxa, rapit fruges, ſtirpeſque reuellit:
Raptorem vacuis laniat ſub dentibus horrens.
Haud ſecus Alcides per confraga ſæpe recurſat
Ardua, per nemorum latebras, perque auia longa
Bebrycidos pulchræ magno inflammatus amore.
Quid paret infelix, quid iam de coniuge credat
Ignorat, longúmque dolens exæſtuat alto
Pectore: Væ quencunque virûm, quancunq; ferarũ
Offendat: non Herculeis hunc Iuppiter ipſe
Eriperet manibus; dextra qui fulmina torquens
Terrigenas cœlo manes detruſit ad imos.
Tum demum Alcidæ durum miſerata laborem
Aeneadum genitrix corâm ſeſe obtulit vltro;
Hiſque olli curas conatur demere dictis.
Quid Ioue nate paras? quid nam moliris inane?
Pyrene ſalua eſt: Dryadum colit illa decoras

Læta domos; fruiturque deûm indelebilis æuo;
Nympharúmque auget numerũ, celebrátque choreas
Ludentes inter Satyros, faciléſque ſorores.
Sic mihi, ſic placitum ſuperis; ſic fata dedere.
Ipſa tibi pulchram confectis menſibus edet
Progeniem; excipient Nymphæ, gremióque fouebũt.
Egregia Fauni puerum mox arte peritum
Efficient, curſúque cito præuertere damas
Inſtituent, ferróque exactos figere ceruos:
Is tandem occiduis latè dominabitur oris,
Quáque ingens regum ſeries naſcetur ab illo.
Tu verò i felix; referas longo ordine pompam
Gerione victo; atque grauem ſolare dolorem
Spe tanta: expectant magni te culmina cœli.
Hæc tantum effata in tenues euanuit auras.
Obſtupuit diuæ monitis, gaudétque, dolétque
Amphitryoniades, ac demum paruit ægrè.
Ergo vbi Pyrene celſa ſpectauit ab arce
Cæſaris ingentem pacata per æquora claſſem,
Nereidum comitante manu, Phorcique cohorte,
Exercet lætata choros, & gaudia totis
Excitat in ſyluis, montanáque numina myrtho
Frondicomum præcincta caput colludere gaudet:
Gaudet & antiqua magnum de ſtirpe nepotem
Italiam petere, & præclarum inſigne Latini
Imperij: optat iter felix, ſuperóſque precatur
Incolumem reddant Hiſpanis denique regem.
Intereà clarum Phœbus detexerat orbem,
Extuleràtque iubar; læta cùm claſſe per vndas

Cæſar iter faceret, ſinuoſaque vectus ataret
Æquora, Iamque legunt glebæ qua diuite Narbo
Arua tenet, quàque effundens ſe plurimus amnis
Hoſtia limoſo Rhodanus latè aggere complet,
Et quà ſtagna ſalo Marij monumenta pateſcunt
Mœniaque Herculeo iam quondam erecta labore
Quaque lacus olim; crebro de hinc obrutus imbre
Saxorum campus magno circumpatet orbe,
Cùm pater Alciden iuuit, quo funderet hoſtem.
Oppida barbaricis Graiorum condita in oris
Tum fugiunt, Salyasque altis prærupta colentes
Saxa iugis; longeque ſinus anfractibus acta
Cæſareæ medio in ponto tenuere triremes.
Stoechadas, haudquaquam infida ſtatione patentes.
Tum iubare exorto ventis reuocantur in altum:
Quas inde accepit tuto placidiſſima portu
Inſula marmoreo Leronis nota ſepulchro.
Hinc vela excitæ ſpumanti gurgite pandunt:
Prætereunt flauo labentem flumine Varum;
Gallorumque domos, ſuſpectaque littora longè
Euaſiſſe iuuat. Ductor tum voce ſalutat
Italiam; Italiam ſocij clamore ſecundo
Ingeminant: læta exultant iam numina ponti,
Et tanto incolumem gaudent maris æquore claſſem
Auſoniæ ad fines vento duxiſſe ſecundo:
Semiferis latè reſonant tum vocibus vndæ.
Iamque arcem Alcidæ, ſi vera eſt fama, Monoeci
Inde petit, Ligurumque ſinus tranquilla per alta;
Mox vada magnanimus penetrat Sabatia Cæſar;
Et Genuæ

Et Genuæ tandem optatis allabitur oris.
Actutum volitans Latias peruenit ad vrbeis
Nuncius, vt magna properaret littora claſſe
Italiæ Cæſar monitis fatalibus actus.
Tum pater vndiſono ſcopulis pendentibus antro
Forte ſedens tacito ventura oracula vatum
Pectore voluebat ſtagnanti flumine Tybris,
Heſperidum Tybris latè dominator aquarum.
Intentæ circum famulantur plurima proles
Naiades, cultæque ſinus, nudæque lacertos.
Antibrote, Eunomieq́;, Clytoq́;, & pulchra Theano
Mollia luteolo pingebant vellera fuco.
Lamproque, Clothoq́;, Bremuſaq́;, Cymothoëque.
Candida cæruleis ducebant ſtamina fuſis.
Eutrapeleque Heroteque, Glyceaque, Callyrhoëq́;
Carbaſeam niueo nebant velamine veſtem,
Auroque, & varias ornabant murice formas,
Ingenti ſtudio tum pulchra exempla petentes
Aurata ex chlamyde, inſigni quam neuerat arte
Ægeria ipſa Deo, fatorum conſcia Diua
Æneadas quondam docuit quæ ſacra Deorum
Fonte ſonans latè, & magno celeberrima luco:
Addideratque nouum decus admirabile textum
Illic egregias laudes, atque optima fata
Cæſaris, & mira creſcentem iam indole prolem
Fecerat, Illic imperij decora alta Latini
Docta parens, & vera deûm qui templa tuentur.
Fecerat & fluctu latè ſpumantia cano
Æquora, & auratis verrentes cærula caudis

Delphinas, medioque innantes gurgite phocas,
Nereidumq; choros, Tritonumque agmina circùm
Ludere; dehinc Ligurũ ingentem pro littore molem
Inſignemque mari ponentem maxima quondam
Iura vrbem, & placidè Neptunũ admittere põtem:
Tum verò occiduis aduectas æquore ab oris
AEratas acies ſuccedere claſſibus Acten.
Hic ſubitam piceo fumantem turbine nubem
Flammarumque globos liquidas volitare per auras
Cernere erat, magnoque cieri pondere ſaxa
Lætitiæ ſigno: crebris reſonantia bombis
AEra quoque audires longè, tonitruſque coruſcos;
Omnia miſceri, cœlum, terraſque, fretumque
Murmure: reſponſantq; procul nemora ardua rupes,
Inſequitur plauſuſque virûm, clangorque tubarum.
Iam regem, quos picta recens aulæa tegebant,
Porticibus, primoque in limine adeſſe canebant.
Rex aderat fuluo latè conſpectus in auro.
Ingeminant ſonitumque tubæ, crepitantiaque æra:
Lydia ritè modos reddebat tibia miros.
Ipſe vehens altè peditùm ſtipante cohorte
Inſigneis inter proceres iam templa ſubibat
Omni lætitia, ſummoque exceptus honore,
Cuncto cùm populo magno comitante Senatu.
Tres olli comites ibant præ ſigna ferentes
Regia: fulmineum geſtabat proximus enſem,
Ille antiquum ingens ſceptrum, hic inſigne ſuperbũ
Fert aquilam, geminò nigricans quæ vertice ſurgit.
Auratis ſagulis, auratis veſtibus omnes

Lucent. antè aras ornatus tempora mitra
Aureus orabat ſuperos, regemq́ue ſalutat,
Et toto amplexus veneratur pectore præſes,
Parte alia è medijs ſurgens pulcherrima campis
Vrbs antiqua, ſoli, & magno rerum vbere diues
Monte ſub aduerſo circundata mœnibus altis
Eminet Hetruſcæ iam quondam maxima gentis
Gloria, quam leni fluuio interlabitur amnis.
Eſt locus inſignis, quadratoq́ue area campo
In medio: cingunt paruo latera interuallo
Diſtantes ædes: quarum laquearibus aureis
Tectum auguſtum, ingens, niueoq́ue è marmore iuxta
Templa nitent, tecti ſacris penetralibus altè
Numina ritè vocat cœleſtum altaria propter
Purpurea magnus flagrans in veſte ſacerdos
Ambroſioq́ue humeros vngebat rore, manusq́ue
Cæſaris, & ſanctè peragens ſine ſanguine ſacra
Thura dabat, caſtaſq́ue orans incenderat aras.
Triginta mitris redimiti inſignibus omnes
Coccineam induti chlamydem tum voce precantur.
Olli magnanimi Proceres præ quatuor ibant
Omnes argento lucentes, pellibus omnes
Auratis fert ille orbem: fert ille coronam:
Hic ſceptrum imperij: hic gemmis, auroq́; micantem,
Fatiferumq́ue enſem, clara ornamenta potentum.
Tum pater ipſe potens, Latijs qui præſidet aruis,
Antè pedes iuuenem ſubnixum poplite ſanctis
Proſequitur dictis, ſuperoſq́ue in vota vocabat:
Mox lateri illius fulgentem accommodat enſem:

Quem ſeſe attollens adducto deinde lacerto
Ter vibrat; terque idem auras mucrone coruſco
Verberat, atque habilem vagina condit eburna.
Inde parens capiti circundat tortile ferrum:
Additque antiquum regale inſigne decorum
Italiæ regem appellans, dextraque ſuperbum
Inuicta ſceptrum; læuaque aptauerat orbem,
Orbem telluris prodentem regna ſubacta.
Quin & Romanæ ille idem Pater optimus arcis
Stabat pro templo, ſolioque inſederat alto,
Pontificum egregio latè ſtipante Senatu
Murice flagrantum, niueaque in veſte nitentum.
At Cæſar procerum magna comitante caterua
Incedit: vaditque ſuo, vt prior, ordine pompa.
Candentem induerat tunicam, latamque ſmaragdis
Addiderat chlamydem: mediumque in limine patres
Excipiunt oſtro inſignes, ſacraſque Deorum
Ante aras ducunt. Iterum illi ritè ſacerdos
Arduus ambroſia pulchros madefecerat artus.
Ipſe parens iterum proiectum antè ora, piumque
Numen adorantem diuino carmine tollit:
Atque iterum imperij claris inſignibus ornat,
Auricomumque caput gemmis circundat, & auro.
Hîc canitur Cæſar Romani maximus orbis
Princeps: ingeminatque noua chorus arte canentum.
Cæſar iò Regnator iò, decus addite Romæ,
Terrarum felix, auguſta, ſuprema poteſtas,
Victor iò, dominator iò, te maximus Atlas,
Te ſeptem magni horreſcunt alta hoſtia Nili:

Tu Scythicos victo referes ex hoſte triumphos.
Tum verò Iuuenis, radiant cui læta corona
Tempora, procumbens venerati caſta parentis
Oſcula libabat pedibus, immaniaque auri
Pondera prætulerat rara, & pulcherrima dona.
Poſtremo inſignes, rebus, ſacriſque paractis,
Ambo ibant: lato ſpectandus vterque ſub auro,
Auroque ille Deus, Deus ille æterna poteſtas
Aurata niueæ Cereris ſub imagine tectus.
Inde ſacerdotum fulgens longo ordine cœtus:
Hinc proceres latè illuſtres comitantur eunteis.
At pater egreſſus iam tecta auguſta tenebat:
Magnanimus Cæſar populo comitatus & omni
Per decora alta vrbis delubra antiqua petebat.
Iam plenis manibus ſignati plurimus auri,
Plurimus argenti paſſim iam ſpargitur imber:
Ludentumque viæ choreis, plauſuque fremebant
Spectantum, cytharisque, & pulchra voce canentum.
Omnia lætantes complerant compita matres,
Matres optata expectantes ocia natis.
Ipſe ſedens altè populis dat iura ſuperbis,
Cuncta recognoſcit placidè, miſſoſque piorum
Vndique legatos audit, lætamque per omnem
Compoſito Heſperiam diuulgat fœdere pacem,
Indicitque pius formidanda hoſtibus arma.
At que hîc Italiam luſtrabat pacis imago
Aurea prætendens ramos frondentis oliuæ,
Conſequiturque Fidem canentem paſſibus æquis.
Hîc belli facies æratos ferrea poſtes

Præpandit, gelidumque oculos contorquet in Oenum.
Talia dum genitor depicta in veſte tuetur,
Intentoſque oculos hærens per ſingula voluit,
Condita fatidicæ repetebat carmina Mantûs
Coniugis antiquæ: genuit flauentis ad vndam
Fluminis inſignem cœptis quæ fortibus Ocnum
Miſta Deo: & fatis promiſſos gnarus honores
Agnoſcit. Tum nulla mora, acciri omnia iuſſit
Quæ latè Auſonijs labuntur flumina campis.
Humida præruptis anfractibus obuia regna
Illa tenent, magnæque flluunt per confraga terræ.
Nam pater omnipotens totum cùm clauderet orbem
Oceano, hærentem medio libraret & axe;
Vaſta ſub exciſis terræ penetralibus antra
Peruia, & ambages varias, varioſque viarum
Occurſus feciſſe aiunt, quibus omnia circùm
Abdita prorumpant latè, ſubterque recurrant
Ipſa inter ſeſe rapido vaga flumina motu.
Eſt ſpecus in medio, vaſtaque voragine ad ima
Tartara contendit; baratro qui teter & ipſe
Tartarus immenſo, hîc latè vis omnis aquarum
Clauditur: inde leui pendentia pumice tecta
Fluuiorum excurrunt, ſpeluncis inde latentes,
Ingenteſque lacus manant, amneſq́ ſonantes
Per varios fuſi tractus, eodemque recurſant.
Cum primùm imperio magni ſe flumina norunt
Tybridis acciri, extemplò lata agmina voluunt
Omnia, cæruleique domum venere parentis.
Venit & extremo Italiam qui limite Varus

Separat, & Thuſcos diſpeſcens Macra colonos,
Ipſe virûm ſobole illuſtris, Diuûmque recenti
Prole augens ſuperos, venit pater Arnus honores
Diuinos meritus, placido gratiſſimus amne;
Pinguia qui rura, & magnas interfluit vrbeis.
Venit & auratis præcinctus cornibus ingens.
Qui mare purpureum ſepteno gurgite complet
Populifer Padus, & fluuio premit arua ſonanti.
Plurimus hunc tum ſequitur comitatus aquarum
Alpibus erumpens, & nubiſono Apennino,
Abdua piſcoſus, liquidiſque argenteus vndis
Ticinus, glauca velatus arundine Lambrus.
Quique ſecat lætos nitidiſſimus Ollius agros
Et ſacro celebris muſarum Mincius ore;
Ingentemque petens Rhenus paruo amne Paduſam,
Sed iam laude noua, & fatis melioribus auctus.
Quinetiam Lyris tacitus interfuit vndis
Auſonidum genitor Nympharum, læta Maricæ
Vbera fœcundans, & feſſum coniugis almæ
Se gremio referens, albenti comptus oliua;
Myrthea qui viridi pingens redimicula lauru,
Medorumque nemus, varios permiſcet odores;
Saxorumque ſonans Vulturnus, & æquora campi
Amne premens rapido, regnator maximus olim
Oſcorum: & fluuio pulcher Sebethus amœno,
Mœnia qui ſubter puteis deductus amata
Parthenopes petit amplexus, vt fluminis alueo
Exiguus, Regum ſceptris, & prole potentum
Maximus, aurata venit conſpectus in vrna.

Quos omnes hilari poſtquam Rex cærulus ore
Excepit, feſſosque leuare ſedilibus artus
Iuſſit, dant manibus latices ex ordine Nymphæ,
Pars nitidas tonſis menſas mantilibus aptant,
Pars epulis onerant, Gaurani pocula Bacchi
Plena ferunt aliæ, latè omnia floribus ornant,
Candida luteolis variantes ſerta coronis.
Puniceisque roſis, & purpureis narciſſis.
Tum verò vt poſitis requierunt flumina menſis,
Sic pater vndiſona cœpit Tyberinus in aula.
Iam venit afflictis tandem ſpes optima rebus
Expectata diu, votisque optata ſupremis.
Iamque adeò inuiſum terris, diſcordia, numen
Deſinet, ac Latio ſurget pax aurea toto:
Omniaque vbertas effundet munera rerum:
Italiam occiduis Cæſar iam venit ab oris,
Cæſar magnanimus, quo non felicior alter,
Quem certa ad ſummos accerſunt fata triumphos,
Perdita qui longa ſoluat formidine ſecla
Hinc procul ignotum bella expulſurus ad orbem.
Cærulei proceres nobis hæc gaudia, nobis,
Illa dies nobis cunctas celebranda per oras;
Antè omneis alios tibi Rhene puer: tibi Rhenus
Ille pater magnus, quo ſe Germania iactat,
Ille ſui gaudens augeri nominis vndas;
Datque parens decus æternum Tyberinus habere
Auſpicibus ſuperis, fatisque volentibus ipſis:
Quo fontem Rhodani ingentē, quo maxima Gangis
Flumina, quo fluuiorum omneis ſuperabis honores,

Æquabiſque meos, nomenque ad ſidera tolles
Me non inuito, neque enim inuidiſſe putandum,
Qui vos imperij toties ad ſceptra vocauit,
Imperij qui veſtra ſui ſe tollere regna
Excidio tulit. Hoc eſt quod doctiſſima coniux
Veridico quondam prædixit carmine Mantó.
Italia infelix triplici cùm preſſa malorum
Mole cadat, ſeptemque tuos è culmine colles
Eruat aſcendens durus per mœnia miles,
Antiquiſque opibus iam tecta, virûmque, Deûmque
Exuat, ipſe feras digna, atque indigna relatu,
Tum iuuenem latè regem tibi diues Iberus
Mittet, qui magna teneat ditione Latinum
Imperium, Latioque procul bellum omne repellat.
Ipſe tuæ inuitus quæ vulnera fecerit vrbi,
Vnus Achillea ſanabit cuſpide præſens.
Hunc facilè Hadriacas tuleris diuertere ad vndas,
Et magni ſobolem Rheni læto agmine Rhenum
Excipere, & ritè exornare inſignibus aureis.
Aurea tum primùm fatali ſecula rege:
Aurea progenies naſcetur, & aureus ordo:
Atque iterum Italia aſpiciet Saturnia regna.
Omnia pacato miteſcent orbe: laborum
Omne genus fugiens Latijs procul occidet oris:
Lætitiamque nouis referent elementa figuris.
Sidera non vnquam terris meliora dederunt
Lumina; nec cælo præfulſit luna ſereno
Pulchrior, aut roſeis euecta aurora quadrigis
Rettulit expectata diem felicior almum.
Aëra per liquidum genitabilis aura fauoni

Dulce fremens Zephyris lætos per roſcida rura
Fundet humi flores: Diuûm felicia dona
Arua dabunt fruges: vulgò feret omnia tellus.
Ipſa per humenteis latè vaga flumina campos
Vberiora fluent: ipſíque à limine fontes
Florea maiores fundent per gramina riuos.
Dum pater hæc coràm narraret, fluctibus antra
Spumare inſolitis, laticesq́ue erumpere paſſim
Obſtupuere omnes; pariter ſe fontibus auctos
Mirantur, fuſosq́ue recens maioribus alueis.
Actutum celeres taurina in cornua ſurgunt,
Muſcoſumq́ue caput medijs anfractibus altè
Attollunt, magnamq́ue polo deſcendere pompam
Ecce vident, pulchrasq́ue Deas accedere terras.
Qualis vbi eois perfuſus Lucifer vndis
Extulit os cælo, quem ſidera matutinis
Circunfuſa nitent radijs, tenebrasq́ue reſoluunt,
Talis erat, talem ſe dudum læta ferebat
Sancta Fides, ſancta Diuûm comitante cohorte.
Auſoniamq́ue ſinu complecti numina cernunt,
Ridentemq́ue nouos gremio diffundere odores,
Lætantesq́ue ſolo pingui flaueſcere ariſtas,
Atque in odoratis ramis fragrantia poma,
Palladiasq́ue oleæ bacas frondentis abundè
Pendere, & duris Lenæas ſentibus vuas.
Quin etiam Diuûm voces per inane canoras
Accipiunt, cantusq́ue virûm, ſonitusq́ue tubarum.
Omnia quæ tandem Italiæ feliciter oras
Te veniſſe palàm teſtantur Maxime CAESAR.

FINIS LIBRI TERTII.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI CAESAR, SEV DE LAVDIBVS CAROLI QVINTI

Imperatoris Ad Nicolaum Pernoctium Cæſariani, ac Regij Senatus virum primarium.

QVàm belli audaces immoto pectore Cæſar
Subſtineat motus, dirũ quo turbine in hoſtẽ
Sęuus eat, quãtasq; pi⁹ procul arceat armis
Hoſtiles acies, PERNOCTI *candide notum*
Iam tibi Germanæ decus indelebile gentis:
Seu nunc concilio magno intra regia tecta
Res agites, rerumque tibi ſint maxima curæ
Munera: ſeu repetas duri certamina Martis
Victor equo inſultans, dextraque haſtilia longè
Protendas, crebroque micans mucrone coruſco
Barbara Pæonijs deturbes agmina campis.
Inſignis volitans noſtras peruenit ad aures
Fama viri: maiora illum geſſiſſe putamus.
Verum age Cæſareas tanto maris æquore laudes
(Nanque potes) tu magna mihi da vela petenti.
Qualis ab aerijs fato Iunonis iniquæ
Nubibus in terræ gremium demittitur imber
Plurimus: inſequitur velox humentibus alis
Eurus, & horrendum ſæuit ſtridente procella,

Fertque hyemẽ, & totum ſtygias per inane tenebras
Eruit ille agros, ſegetesque, & vota colonis
Deplorata diu, campisque effundit apertis
Flumina: tum verò ſpumanti gurgite torrens
Saxoſas inter valles de montibus altis
Præcipitat, voluitque ſonans immania ſaxa
Hîc paſſim annoſas durato robore quercus
Sternit humi, ſyluasque ima ab radice reuulſas,
Abscinditque altè materno è corpore ramos:
Tecta rapit valida, & ſummo de vertice montis
Ingentem abrumpit molem, verritque per auras:
Actutum nemus omne tremit, cælumque remugit:
Talis ab eois iam quondam eruperat omnis
Effera Turcarum latè violentia clauſtris
Caucaſeas vltrà glacies, Tanaimque niualem;
Altaque Pangæa exuperarat, quin aſpera Rheſi
Arua, Getasque feros, nec non Rhodopeia ſaxa;
Et tandem Emathios nuper bacchata per agros,
Alpigenis Iſter quâ circunfunditur vndis,
Rex inter fluuios Europæ maximus Iſter,
Murmure qui vaſto ſeptena per oſtia pontum
Ingreditur, camposque ſecans premit amne ſonanti,
Inſigneis populos, clarasque euerterat vrbeis,
Poeonios extra fines preſſura feroces
Sueuos, Heſperiamque omnem, ſtragemque datura:
Ni ſuperûm talem auertiſſent numina cladem
Vnius inuicta pietate, & fortibus auſis.
Nam veluti ardenti ſi quando fulmina dextra
Iuppiter omnipotens ſummo iaculetur Olympo:

Quæ Deus ignipotens vaſto informauerit antro;
Terrificasque operi piceo cum turbine flammas,
Et rutilos ignis radios, atque horrida Cauri
Flamina, flagrantesque iras, ſonitumque minacem
Adddiderit; terras genitor terroribus implet:
Contremuitque ſolum, & ſyluæ intonuere profundæ:
Quinetiam toto depellit nubila cœlo
Depellit nimbos, atque aëra purgat apertum.
Tum poſuere noti: longè micat arduus æther:
Aurea depulſis effulgent nubibus aſtra.
Non aliter magni tremuerunt Cæſaris arma
Baſtarnæ genus acre virûm, & Mauortia proles
Myſorum, fidensque fuga, verſisque ſagittis
Progenies terris infenſa, atque impia, Diuûm
Contemptrix. iam pulſa fugit vis vndique ab oris
Excita barbaricis: totum quæ nobile, & ingens
Imperium obrueret Romanum, & iuſta ſacrorum
Iura prophanaret: regem cùm bella gerentem
Ductantemque acies, hoſtemque in dura vocantem
Prælia miretur: latè victricibus armis
Vnus qui nobis defendat regna piorum
Omnia. iam ſentit multos inuicta per annos
Gens inimica, viri valeat quid maxima virtus,
Quid pietas, quid cana fides, quid conſcia recti
Mens; quæ ritè colat ſuperos, homineſque gubernet,
Iusque, piumq; fouens; præclara quid indole pulchra
Magnorum antiqua ſoboles ab origine regum
Læta ortu primo, & fauſtis penetralibus aucta;
Denique præceptis rectè informatus auorum

Quid præſtans animus: quorum ſe gloria cælo
Extulit. occiduis alter regnator ab oris
Barbaricos pepulit mores, & ſacra Deorum
Impia, & infidos Arabas, Nomadumque prophanā
Progeniem, ac Libyæ fines populatus, & vrbes
Haudquaquam parua Mauros ditione ſubegit.
Imperium auſpicijs felicibus alter auitum
Heſperiæ tenuit belliquè, & pacis adeptus
Egregias laudes, nulla non maximus arte
Regnandi, Europa tandem expulſurus ab omni
Inuiſum ad ſcythiæ pauperrima regna tyrannum,
Siqua fata darent. fortis ſic fortibus orta
Regibus excellens adoleſcit regia proles.
Nanque in equis patrum virtus, taurisque ſuperbis:
Nec Iouis armigeræ volucres genuere columbam
Imbellem. doctrina tamen vim promouet ipſam
Ingenij: atque probi fortiſſima pectora cultus
Confirmant. Siqua ratio pulcherrima morum
Deficiat, benè nata trahunt fœdiſſima labem:
Deturpatque animi decora illaudabile crimen.
Quid Sueuis rerum dominis Romana poteſtas
Debeat, & ſummi quod numinis inſtar adorant,
Pontificum in primis defenſa potentia late,
Et tutela Deûm & magni reuerentia templi,
Nec non deuicti in latio teſtantur & hoſtes.
Quid dehinc magnanimi reges mereantur Iberi;
Teſtis præfulgens captis victoria Pœnis,
Et partum iam cuncta pium per ſecula nomen:
Teſtis & Heſperiæ latè qui præſidet aruis:

Cum penitus Gallos Italis de finibus arcet;
Iuſque ſibi Hiſpanis antiquum vendicat armis.
Quæ verò Europæ columen tibi maxime Cæſar,
Quæ laudes, qui pro meritis referantur honores?
Nempe tibi acceptum referat genus omne Latinum
Iam quicquid colitur, iam quicquid vbique ſalutis.
Tecta viri debent, leges, ritusque ſacrorum:
Templa Dei, & magnis cumulata altaria donis:
Incolumesque agros agreſtia numina Panes:
Tum liquidos Nymphæ latices, & pabula læta
Paſtores, pecudesque, & pinguia culta coloni:
Quinetiam ora patrum nati, natoſque parentes,
Coniugis amplexus coniux, fraternaque pubes
Ipſa inter ſeſe vitam, lumenque iuuentæ.
An non Threicijs ſeruitum matribus irent
Italides, duroque omnem iam barbarus hoſtis
Seruitio Auſoniam premeret? ni fortia bello
Pectora te duce formidans iam viribus impar
Cederet: immani veluti cum mole leonem
Dira fames Dryadum ſaltus & luſtra ferarum
Linquere compellat: clauſo protecta ſub antro
Ingentique ſinu fluuiorum armenta petentem
Tollentemque iubas, violentoque ore frementem.
Paſtor agens telis, paruo munimine tutus
Siqua aditus pateat, ſeruat cuſtode moloſſo:
Quo ſæpe informeis vrſos, iramque leænæ
Deuictam proſtrauit humi, ſuetoſque Elephantos
Armari, denſaſque acies perrumpere Martis.
Ille pedem reuocat rabie conatus inani

Prædari pecudes: tacitumque per ima furorem
Corda premit frendens: ſtimuliſque agitatus edendi
Syluarum latebras repetit; ceruoſque fugaces,
Ceruos, aut pauidas ſaxi de vertice damas
Faucibus inſequitur ſiccis: neque enim impete facto
Siſtit iter, donec præda potiatur amata.
Fallare Cæſareas obliquo tramite vires,
Et tandem effugere, inſigneis putat eſſe triumphos;
Bella per Italiam renouantum ſæpe cohortes
Gallorum innumeras non multo milite fuſas
Cùm videat. proles deducta ex Hercule magno,
Tantos qui potuit victor ſuperare labores,
Tot claras vrbeis, tot regna excindere ferro:
Totque dedit læto terræ qui monſtra parentis:
Quæ demum virtute ſua non vinceret arma?
Nec ſecus ac rigidis antiqua in montibus ilex,
Eruere Alpini certent quam flatibus euri,
Seu tundant validæque manus, duræque bipennes:
Per cædes, per damna hærens iam flamine ab ipſo
Maiores ſibi ducit opes, aut ære rigenti.
Nam turba capitum nequicquam bellua Lernæ
Ardua in Herculeam deſecto corpore creuit
Inuictam, & duro præſtantem robore dextram.
Nec verò armipotens totis ruet Alpibus vnquam
In magnam Heſperiam, ſemper quin victa recedat
Gallia Cæſareis impar congreſſa cateruis.
Crebra renaſcentes effundens Gallia partus
Monſtrum horrendum ingens exciſo protinus aluo
Aſpera in arma vocat, actoſque in prælia cogit.
Infelix

Inſelix: quo nec Mauortia Colchidos arua,
Nec peperit maius quondam Bœotia tellus.
Verum & Agenorides Hiſpanus alter ab oris
AEſonideſque alter miſſus, qui Gallica mactet
Portenta. Obrueris terraque inſenſus, & alto:
Clarior emerget: luctere infeſtior: idem
Proruet inſigni victorem laude ſuperbum:
Multaque præclaris geret exornanda trophæis.
Hæc pater Eridanus; nitidis hæc Ollius vndis:
Hæc canit vndiſona ſurgens Ticinus ab vrna;
Tuque adeò Auſonidum Lyris dominator aquarū,
Qui tacitus patriæ lætas illaberis oras;
Et qui Parthenopen leni complexus amatam
Mœnia Sebethus ſubter deducitur amne.
Ipſe ſuas ergo vires, & fata Deorum
Agnoſcat: victorque ſequi victricia norit
Auſpicia: & bello cedentem proruat hoſtem.
Proferat & magnum rapidas Euphratis ad vndas
Imperium, ac celebrem ſepteno flumine Nilum,
Vltus & antiquam labem, & temerata ſepulchra.
Nil non efficiet tandem felibus armis
Magnanimus Cæſar; quem numine diligit æquo
Omnipotens diuûm genitor, tenditque, fouetq;
Et curæ expediunt horrenda ad bella ſagaces.

ANTONII SEBASTIANI

MINTVRNI AD MICHAELEM MAIVM CAESARIANI,

ac Regij Senatus virum primarum.

MERCVRIVS.

SI quando liceat magno mihi carmine bella
Condere Maiade, & reges memorare ſuperbos;
Occiduas quibus ipſe regas nunc artibus oras,
Ordiar; atque tuas conabor dicere laudes.
Interea Phœbi retinens Cyllenius aureis
Quæ cecinit quondam blando pulcherrimus ore
Accipe: Nam ſiquis leget hæc; te carminis huius
Tanget honos. Quis Atlantiadum te ſanguine natū
Abnuat; antiquum generis ſeu nomen ad ipſum
Spectet, ſeu quæ Mercurius fert munera docti
Ingenij? Neque enim vox gratior vlla camœnis
Quàm tua, vel quæ prodiderit tua maxima facta.
Dicite Pierides: nam vos meminiſſe poteſtis,
Tempore quo ſacro Maiæ puer ortus in antro
Eous, tenero vagitus edere cœpit
Ore deus; primumque lyra ceciniſſe reperta;
Aureus è medio cùm ſol decurreret axe;
Traditur, & Phœbi præſtanti corpore tauros
Egiſſe, extremum veſper cùm limen Olympi
Clauderet. Ille dolos tandem molitus inanes

Cùm nec Latona genitum ſua furta laterent,
Nec quanuis miro prudentem falleret aſtu;
Ac Iouis imperio compulſus reddere prædam,
Latoidæ ad citharam ſtatuit ſibi pectora cantu
Conciliare nouo Muſis vos numina teſtes.
Numina, quæ latè Alphæi ſacra littora circùm,
Quæque Pyli ſaltus, quæ læta quoque arua tenetis;
Cùm vaga præcipitem requieſſent flumina curſum,
Duraque motaßent immotæ robora ſyluæ,
Atque feras inter veſtra ludente chorea
Plauderet in numerū chorus, omnia carmē habebat,
Quæ dulcem valeant oculis inducere ſomnum,
Lætitiamque animis, ſæuoſque Cupidinis ignes.
Militiam canit, & primi certamina Martis,
Principio ſuperûm inter ſe pugnaſſe cohortes,
Cùm planè aſpicerent humano ſanguine cretam
Diuinam ſobolem; quæ ſummo æquæua parenti
Æternas dederat leges, & foedera mundo,
Omniaque in lucem ediderat, iamque hoſte ſubacto
Victor ſceptra ferens, & rex hominumq; Deûmque
Imperio latè cœlum, terasque teneret.
Inuidia infelix ergo cœleſtia cogis
Pectora tam diris certare imbuta venenis,
Inque ſuum, heu ſcelus, armari regemq; patremq;,
Sedibus vt tandem Arctois noua regna pararent?
Cernere erat cœlo iam deturbata ſereno
Agmina, quæ meritas perſoluant impia pœnas
Quæque ſuas, partim detrudi ad tartara cæca
Expenſura modis vaſto ſub gurgite miris.

Omne neſas, partim celeres errare per auras,
Vt propria nuſquam, & certa ſtatione manerent.
Contrà victrices acies meliora ſecutas
Iura armis; ſummo poſuiſſe in vertice palmas
AEtheris, & latè inſignem duxiſſe triumphum:
Quos tum pro meritis cæli ad decora alta vocatos
Iuppiter omnipotens æterno affecit honore.
Addit vt in terris diuino munere nata eſt
Progenies rerum princeps, inſtarque parentis,
Cui mare, cui tellus, vni cui denique cuncta
Parerent, pulchra ſemper quæ luce fruatur
Viuendi, inuiſæ non vnquam obnoxia morti;
Optima ſi regis ſeruet mandata ſupremi.
Ah miſer, ah male caute parens tu ſemper acerba
Mala legis, vetitumque neſas: te criminis author
Plurimus in ſpiram torquens ſeſe improbus anguis,
Anguis & humani generis delator, & vltor
Te capit inſidijs: nec verò cernis vt æuum
Immortale tibi inuideat, ſedeſque beatas.
Ah miſer, ah male caute parens te flectere blandis
Illecebris potuit tandem ſtultiſſima coniux,
Coniux, prò facinus, tantorum cauſa malorum.
Ah male caute parens quantum mutatus ab illo,
Cui modo naſcenti fuerat cæleſtis origo,
Omnia cui tellus nullo poſcente ferebat,
Agnoſcis miſeræ prudens contagia vitæ,
Nudaque miratus iandudum membra, pudorem,
Nec non cuncta tibi aſſiduo quærenda labore.
Iam domitos adigunt inſueta per arua iuuencos

Ferre iuga, & terram ſeruato ſiderè ferro
Vertere mortales, varias extundere & arteis
Inſtituunt; cùm liberius nihil vbere glebæ
Edat ager; rerumque nihil non cogat egeſtas.
Quin & prædari incipiunt, & reddere pontum
Claſſibus infeſtum, & Mauortia bella ciere.
Tum verò vt periit non æquo pondere aquarum
Obrutus, atque iterum tener vt concreuerit orbis
Iamque nouo ſtupeant homines fulgeſcere cælum
Lumine, iam volucres volitent per inane profundum;
Et raræ ignotis pecudes in montibus errent.
Inde recenſebat magnorum oracula vatum,
Vt genitor diuûm ætheria miratus ab arce;
Quod genus æternum cælo iam ſemen ab alto
Duceret, & toto præſtans regnaret in orbe,
Diuiniſque animum ornaret virtutibus vnum
Perpetua infelix depulſo ex hoſte tot annos
Bella pati, & captum vectari Acherontis ad vndas,
Iuſtitiæ ſolem, & magnum patris incrementum
Vnigenam ſummo in terras demittat Olympo
Progeniem, humanas fuſo quæ ſanguine labes
Abluat, & moriens crudeli funere mortem
Deleat, & longè ſubuectus ad æthera magnum
Clarior amiſſum vitæ motalibus ægris
Reſtituat lumen, reditumque ad ſidera præſtet:
Vt deſerta parent complere ſedilia cæli.
Tum canit egregiam metuendo ex Hercule prolem
Reddentem iura Hiſpanis, & regna parantem
Appellaſſe ſuo gentem de nomine Iberam,

Tum verò Herculeos iam longo ex ordine reges;
Quorum ego non valeam complecti carmine laudes,
Non, mihi vox altè duro ſi pectore manet
Ferrea, non, denſa ſi grandine crebrius ora
Mille ſonent, totidemque ærato è gutture linguæ.
Quid referam? aut Siculis regnet qui primus in oris;
Aut tua Parthenope cœpit qui ſceptra tenere;
Et Latio Hiſpanum factis extendere nomen;
Aut Tarteſſiacis pepulit qui Punica campis
Regna infenſa Deo, ritusque, & ſacra piorum
Reſtituit, Libyæ fines populatus, & vrbeis,
Vnius imperio tota parere ſubacta
Extrema Heſperia; aut potius te maxime Cæſar
Inſignem in Latio triplici regnare corona.
Tutantemque pios armis, & templa fouentem;
Expulſosque tuo toties ſub Marte ſuperbos
Italia Gallos, actosque in vincula reges;
Quique minabatur collecta iam vndique dira
Turcarum eluuie, & ſæua ſtridente procella
Se totam obruere Europam, trepidare coactum,
Pæoniosque fuga properantem linquere fines.
Omnia tum cecinit; quæ demiratus Apollo
Talia non vllo iam tempore duxit ad aureis
Peueniße ſuas; Libetridas ille ſorores
Cùm ſæpe audierit, nec quenquã hominũq;, Deûmque
Inueniße alium, aut certè didiciſſe putabat.

AD FRANCISCVM CVBVM EQVITVM DIVI IACOBI LEGIONENSIVM, PRAEFECTVM

Et Cæſariani, ac Regij Senatus Virum Primarium.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI PYRENE.

SI iuuat, & blandis vacat indulgere Camœnis,
Quæ cũ iam pulſæ liquant nemora ardua Cyrrhæ,
Bacchatumq; iugis Helicona, & Theſſala Tempe,
Heſperiæ ſaltus habitant, & rura ſorores;
Iamque iterum ſæui deiectæ turbine Martis
Auſonias fugiant rupes, terrasque relinquant;
Barbara Cæſareis ni tandem euicta recedãt
Arma armis, flauoq; metu reuocentur ab Iſtro;
Accipe quæ Siculis deductum carmen ab vndis
Et Veneri grata & Phœbo victricia ſerta,
Dona ferunt Muſæ tibi maxima gentis Iberæ
Gloria, qua rapido terræ præmit æquora Bænis
Agmine Cantabris ducens de montibus ortum,
Militiæ decus Hiſpanæ iam rubra ferentis
Signa ducis; ſancto qui numine præſidet orbi
Occiduo, populosque alto proſpectat Olympo,
Magne CVBE, *incumbit rerum cui ſumma poteſtas,*
Ingentes dedit Imperij cui Cæſar habenas,
Metiri, & latè cunctas à finibus oras.

En adſis FRANCISCE: meum ne ſperne laborem
Tractantem hæc parua, at longè maiora parantem
Dicere, conſpicuos deuicto ex hoſte triumphos,
Si faueas: neque enim quicquam mens inchoat altũ
Te ſine, nec cœptis aſpirat Phœbus Apollo,
Venerat occiduas iandudum latus ad vrbes
Nuncius, vt magni formidans Cæſaris arma
Improba colluuies Turcarum effugerit omnis
Pæonios vltra fines, & cuncta piorum
Regna metu ſoluat: cum fortè vocaſſet Iberus
Nympharum genitor, magnóque ex Hercule proles,
Heſperijs latè dominator Iberus in vndis.
Heſperiamque notans inſigni nomine gentem.
Quæ Tarteſſiacos percurrunt flumina campos
Omnia, colloquio properarent mæſta Pyrenes
Pectora ſolatum: Cari nam pulchra Pyrene
Heu deſiderio pallebat coniugis ardens,
Abſentemque diu regem & fera bella gerentem
Sola dolens vacua tum ſæpe vocabat in aula.
Callaicos inter Minius iam maximus amnes
Ibat, & immemori fundens obliuia Gallis
Gurgite lethæus; cultoſque LVSI vbere fines
Fœcundans Duria, liquidiſque argenteus Alba
Fontibus, & glauca velatus arundine Larnus,
Ambo voluentes latè agmina, & arua ſecantes
Læta, Pyrenæis miſſi de collibus ambo,
Nec non & Sicoris iuxta bellacis Ilerdæ
Culta fluens, Sicoris deceptus nomine Magni
Ad bellum antiqua pro libertate ruentis,

Anſus & infelix nequicquam flumine toto
Cæſaris aduerſus iam quondam erumpere caſtra
Humentum laxis vndarum immiſſus habenis,
Ah neſcis male caute ſenex, quò fata trahebant,
Quò pater ipſe Deûm, quantus naſcatur ab illo
Cæſar, qui terras longa ditione teneret,
Et tibi iura daret, fluctusque reconderet antris.
Sed meritas tanti ſceleris das improbe pœnas
Gurgite reſciſſo riuis deductus in agros.
Ibat Anas gemino fluuio deuexus in auſtrum
Qui cùm ſe in ſtagna effundat, ſeque inde reſorbẽs
Anguſtè totum ſpeluncis condat in atris,
Plurimus emergit gaudens iam ſepe renaſci
Albentique olea præcinctus tempora Bætis,
Qui mare purpureum bino petit ore refuſo,
Inſignitque ſuo claras cognomine terras:
Quique premens fertur pelago Tagus arua ſonanti
Oceanum, & voluens auratam ad littora harenam
At dudum NYMPHÆ *cumulant altaria donis*
Pulchra Lyſe, Beroëque comas, oculosque decora,
Altera virgineum ſeruans intacta pudorem,
Altera tum Venerem Iunone experta ſecunda
Clioque, Drymoque, Galenaque, Pulynomeque
Sacrificas adolent aras, & tura Sabæa,
Protoque, & Melete germana, Atlantides ambæ,
Ambæ artus niueæ, flauentes crinibus ambæ
Numina adorabant superûm, laudesque canebant.
Ipſa Ioui in primis Lenæum libat honorem
Pyrene, diuosque vocans in vota fatigat;

Vt victor redeat Cæſar procul hoſte fugato.
Ergo vbi iucundo Heſperias ſermone per oras
It fama, & regem proauita ad regna parare
Iam reditum adiecit, patriaque excedere terra:
Lętitia extemplò ſoluunt ſe fontibus aucti
Amnes: inſequitur maiòr comitatus aquarum:
Exercentque choros lætum pæana canentes
In numerum Satyri, Faunique exercitus omnis;
Et faciles ludunt Nymphæ per prata choreas,
Quæ ſaltus, quæ rura colunt, quę fluminis vndas;
Ad cytharamque deos diuino carmine dicunt;
Qui cœlum, terraſque regunt, & numine torquent;
Et Dîs Heroas Diuûm genus intermixtos:
Qui ſuperis latè magna incrementa tulerunt.
Tum ſiluêre omnes: atque aures Iuppiter æquas
Præbuit: Eunomie cùm ſic pulcherrima cœpit
Nympharum Eunomie Heſperidū ſanctiſſima mater.
Reſponſant totidem numeris poſtrema ſorores:
Vicisti tandem, viciſti maxime Cæſar:
Binaque depulſo tibi parta ex hoſte trophæa:
Tu Latio hoſtilem rabiem propellis ab orbe,
Sanctaque barbarica bello defendis ab ira
Templa Deûm, atque nefas tollens antiqua piorum
Iura porphanantes cogis meliora tueri
Iuſſa patris magni, Auſonias qui poſſidet arces.
En age victor ades, regnis te redde relictis.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem
Scilicet hæc erat hæc pridem tua maxima cura,
Vt pater Hetruſcus, populos qui numine terret,

Tergemina imperij ornaret tua læta corona
Tempora: Tu Cæſar gemmis decoratus, & auro
Italiæ pacem afferres; ritusq́ue ſacrorum,
Fasq́ue pium imprimis tuearis, & impia bella
Trans rigidas Scythiæ glacies, trã Bactra relegans
Pæonias vrbes, fraternaq́ue regna reſerues.
Nunc voti compos te redde petentibus ipſe.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Quæ cœlo excidium, terris clademq́ue ſupremam
Freta gigantæis Aſiæ vis effera monſtris
Effera vis ardens extremis concita ab oris
Dira minabatur, longè pauefacta receſſit.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Ritè colit ſuperûm tutus delubra ſacerdos:
Rectores tuti populis dant iura vocatis:
Tutus arat, tutusq́ue auidè ferit arua colonus,
Tutus agens paſtor pecudes ad pabula læta,
Agreſtem tenui meditatur arundine muſam.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem,
Nec tua te patrijs teneat Germania regnis.
Prole ducum felix Germania, cui datur vni
Deligere imperio regem virtute potentem:
Quamuis illa tibi obſtentet monumenta tuorum
Et genus egregium, ſummo quod ducis Olympo.
Dulce ſolum patriæ: ſed regia gratior illa eſt
Quæ te connubioq́ue virum, pulchraq́ue parentem
Progenie haudquaquam materna ſtirpe minorem
Effecit: quæ regna dedit per ſecula natis
Æternum regnanda tuis, natisq́ue nepotum.

Reddite nuc Alpes Pyrene, reddite regem:
Ante magna parens teneat Laurentibus arvis
Orbe triumphato peperit quæ maxima rerum
Italia imperium; titulos quæ regibus vna
Cæſareos dat habere, auroque inſigne decorum
Cùm tot facta virûm iactet, famamque potentum,
Promittatque iterum regna inſtaurare ſuperba,
Et totum Latijs ſubmittere legibus orbem
Te duce, ſi Romæ maneas ſuprema poteſtas.
Spes mira: at certis præſtat iam fidere rebus.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Iamque ſuos quater obliquo ſol tramite menſes
Confecit, teque abſentem iam detinet æſtas
Quarta procul: petit heu nimiũ nimiumq; morantẽ,
Maturumque ſibi reditum cùm certus abires
Pollicitum aſſiduè Pyrene vocibus altis.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Vt iuuenem mater longum maris æquor arantem,
Cunctantemque diu, ſæuis quem flatibus auſter
Carpathius prohibet patrias accedere terras,
Omnibus optatum votis, precibusque repoſcit
Irato nunquam deflectens lumina ponto:
Sic te voce pia, toto ſic pectore quærit,
Sic orat ſuperos victorem Hiſpania regem,
Europæ columen latis Hiſpania regnis
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Aſpicias ò, Pyrene quæ templa frequentans
Dona ferat Diuis, caſto quæ nuncupet ore
Multa orans, quas turicremas incenderit aras.

Aſpicias longè iam iam maiora daturam
Munera cùm redeas hæc ipſa ad regna vocatus.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Aſpice quàm pulchra myrthi de fronde coronam
Pyrenæa Venus mittat, quas magnus Apollo
Huc tibi victrices Parnaſſi è vertice lauros:
Quo te pegaſides tollant ad ſidera cantu:
Quod paſſim æterno carmen celebrabitur æuo.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Aſpice Sidonio flagrantem murice latè
Quam tibi iam doctæ chlamydem neuere Napeæ:
Dædalea dipinxit acu doctiſſima Glauce
Bella auro, fractoſque auro ſub cuſpide reges
Intexens, laudeſque tuas, & facta parentum:
Et varias addens gemmas, virideſque ſmaragdos.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem
Ipſa tibi omniparens fœcundo ſemine Tellus
Fundet humi varias læto cum baccare frondes,
Errantes hederas: & amantem littora myrthum,
Admiſtumque roſis florem candore nitentem,
Liliaque, & violas, & purpureos hyacinthos.
Frondicomoque viam decorabunt fornice latam
Frondenteſque oleas Nymphæ, lauroſque comantes
Affigent, & odoratas in limine cedros,
Heſperium nemus, & Medorum ex arbore lucos
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem:
Ibis ouans, ibis claro ſpectanda triumpho
Arma ferens, niueiſque veheris ad alta quadrigis
Tecta Deûm, ſpolijs altè, prædaque ſuperbus

Hoſtili victor, multo conſpectus in auro;
Cuncto cum populo magno comitante Senatu.
Omnibus excipient vulgo iuuenesque, ſenesque
Laudibus, atq; omni plaudent per compita matres
Lætitia: ludent certamina plurima campo
Ludet eques calamis, ludet pedes ære coruſco
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem:
Quattuor exactis iam quondam Græcia luſtris
Dis magnis poſuit vario certamine ludos.
Nunc tibi nunc ludos tellus Hiſpana ſacrabit,
Maxima victori læto nunc præmia ponet,
Deſcribetque tuo dictum de nomine campum.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Te ſine iam tondens herbas male tuta per arua
It bos: nequicquam pingues alit vbere glebas
Alma Ceres: fert nequicquam ſua munera Bacchus:
Non bene pacato timidus volat æquore nauta
Vecturus merces Arabum, & decora alta Canopi;
Non animi ſecurus adit longinqua Deorum
Templa hoſpes: non caſta domus ſine labe pudoris:
Quod ſcelus exuperant leges? quæ crimina pœnam
Formidant? temerare horret iura optima nemo:
Bella fremunt: turbata quies, deiectus habendi
Rectus amor, deiecta fides fugit vndique terras.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Adſis, atque omnes errent illæſa per agros
Armenta: haud fruſtra Diuûm felicia dona
Culta ferant: genitrix daret omnibus omnia Tellus;
Ipſe quoque Oceani rapidis agitatus in vndis;

Tutas vectet opes nigris mercator ab Indis:
Tutum carpat iter per inhoſpita ſaxa viator.
Per nemora ipſa canens: ſanctum venerata cubile
Cara viro coniux ſeruet: iuſtiſſima vincat
Omne nefas morum ratio, probitasque piorum:
Bella cadant: ſecura quies, ſeruatus habendi
Rectus amor, ſeruata fides regnaret vbique.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Vt cùm ſæuit hyems atris comitata procellis,
Flos cadit, herba aret, nitidos fons abnegat hauſtus:
Exuitur frondes, & pomis deficit arbos:
Cuncta latent rerum nullo variata colore:
Terra horret, maria alta fremunt, ſonat arduus æther
Horrida concretum contriſtant nubila cælum:
Nix tegit omne ſolum: denſo ſalit aëre grando:
Flumina terrificos voluunt ad littora fluctus:
Omnia ſic nobis latè nunc triſtia pallent.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem
At cùm vere nouo gaudet pulcherrimus annus,
Flos viget, herba viret, nitidos fons excitat hauſtus:
Induitur frondes, & pomis affluit arbos:
Cuncta patent rerum vario diſtincta colore:
Terra nitet: maria alta ſilent; ſilet arduus æther:
Horrida ſol toto depellit nubila cælo
Omnis ager paſſim ridet: flat mitior aura,
Arua ſecant placido labentia flumina curſu.
Omnia, ſi redeas, nobis ſic læta niteſcent.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem,
Te prece te multa accerſunt populusque, patresque,

Ingenteſque tibi pateras,& vina coronant.
Immiſcentque tuum Diuis ex ordine numen,
Dîs genite,& ſobolem terris geniture deorum.
Quos magno Alcidæ Graij, quos deinde dederunt
Oebalidæ, ipſa tibi terra hæc indicet honores.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
Dicimus exoritur cùm Titan, dicimus & cùm
Occidit, & medium cùm lampade torret Olympum.
Præſtes ò fauſtæ Rex optime munera pacis
Æternæ Europæ, præſtes Saturnia ſecla.
Reddite nunc Alpes Pyrene, reddite regem.
At ſeu Parthenope viſat pulcherrima regna,
Parthenope clara ingenijs atque,inclyta bello,
Hic tua, quæ tanta eſt nitidi clementia cœli,
Tanta ſoli vbertas, rerumque eâ mira voluptas,
Naturæ vt lætantis opus, quo gaudeat æque,
Non aliud tellus habeat: ſiue arua Sicani
Veſtra adeat, Scyllæ ſcopulos,vaſtãque Charybdim
Ore rejectantem fluctus, totasque vorantem
Vortice prorupto verrentes cærula puppeis,
Et piceo Aetnæas fumantes turbine flammas
Viſurus: teneat pulchro ne carmine captum
Plus iuſto, ne delitijs Acheloia proles:
Sed tandem Hiſpanis regem concedite terris.

Ad Paulum

AD PAVLVM III. PONTIFICEM MAXIMVM

ANTONII SEBASTIANI

Minturni Roma.

MAgne Pater, q́ ſceptra tenes, & tẽpla tonãtis,
Vnus, & in terris rerum ſuprema poteſtas,
Claudere cui geminas dat̃ oĩpotẽtis Olympi,
Et reſerare fores, totumq́ue minacibus orbem
Terrere Imperijs latè, regumq́ue ſuperbos
Ponere ſub pedibus faſceis, atq; arma potentum,
Quis te diuino tanta ad faſtigia rerum
Conſilio neget euectum? quem ritè ſenatus
Non vario aſſenſu ætherij iam numinis inſtar,
Cunctus adorarit: quando tot mole laborum,
Totq́ue malis oppreſſa diu iacet Itala tellus
Infelix, iacet Italiæ caput inclyta Roma.
Deteriora timens; ſæuus nam dira minatur
Barbarus, & magnæ conatur maxima regna
Eruere Auſoniæ, atque ipſo crudelior hoſte
Vaniloquus vates, gelida qui ſæuit ab arcto
Nec veritus temerare fidem, nec iura piorum.
Nec verò alterius ſummi iam præſidis illa
Auxilio ſe tollat humo, nec pulchrior vnquam
Emineat, nec tam præſtet pietate, vel armis,
Vt tandem ſuperis infenſos conterat hoſtes.

Eequiſnam fando æquarit, quàm mira voluptas
Hanc teneat, quanta gaudens per compita vulgò
Se nunc lætitia totam, perque oppida fundat?
Te patriæ colit ipſa parens venerata parentem,
Te vocat, ad te confugiens tua maxima poſcit
Præſidia, ex te vno Heſperiæ pendere ſalutem
Faſſa omnem, priſcęque omnem virtutis honorem.
Si qua etenim claro vis eſt in nomine, ſiquod
Omen habens certum reſonat vox vlla, quietem
Tu Paule attuleris feſſis pater optime rebus,
PAVLE decus Latij, & Romanæ gloria gentis:
Non equidem temerè dictum te nomine tanto
Ipſe rear: nec gentis honos, præclaraque virtus
Illa tua, & totum latè doctrina per orbem
Inclyta, fert aliud. Tum ſiqua ſilentibus vmbris
Certa fides, ſi quid veri mens augurat ipſa,
Adde & Romani magnum imperij incrementum,
Iuraque ſacrorum fatis melioribus acta.
Nox erat; & puro fulgebant ſidera cælo,
Extuleratque iubar claro iam Lucifer ortu:
Viſa mihi in ſomnis Romæ infelicis imago
Ante oculos aſtare: modis quæ triſtia miris
Ora ferens, ſciſſumque caput, fœdataque pugnis
Pectora, tum fletus oculis fundebat inanes:
Clauda pedes, abſciſa manus, populata lacertos
Atque omneis laniata artus nil denique toto
Corpore non lacerum oſtendit; ceu ſæua luporum
Quem turba abreptum forma ſuperante iuuencum
Dilaniat ventris diro exagitata furore

Heu quantum informis, fœdoque ſimillima monſtro
Prò quantum antiqua facie mutatur ab illa,
Qua latè inſignis toto regnarat in orbe.
Nec tam turpis erat, penitus cùm tecta ſuperbus
Romulidum Gallus ferro deleuit, & igni;
Nec vero arctois toties emiſſa latebris,
Cùm iam olim Italiam euertit vis effera latè,
Dum ſeruaret ad huc priſcæ veſtigia formæ.
Tum Bellona fremens, vittisque innexa cruentis
Sæuire, Aeneadumque omneis abſumere vires,
Inſequitur bellumque ardens, luctusque, laborq;,
Dira fames nil non ſuadens, & turpis egeſtas,
Et furiale malum crudeli funere lethum,
Sæua ferens peſtis, nec non & pallida tabo
Horrenti macies, atroque imbuta veneno
Eumenidum capita, & crines implexa colubris
Terribiles viſu, metuendoque omine formæ,
Expaui aſpectu primo, & vox faucibus hæſit;
Quærere cùm vellem, vnde illi tot vulnera dira,
Vnde illi hæc facies, lachrymis tantũ ora rigabam,
At mæſtas imo ducens de pectore voces,
Quod me perſpiceret iam dicere multa parantem,
Me miſeram; illa inquit, quondam ciuilibus armis
Perdidit infelix diſcordia; perdidit amens
Stultitia illorum, Heſperiæ qui ſceptra tenerent,
Et quæ deleuit toties ignauia reges.
O quorum antiquæ Tyrrheni Tybridis arces
Imperio latè parent, Saturniaque arua,
Vt cœpere, bonis regnarent artibus, atque

Cuncta gubernarent, certe nec regna piorum
Excidio caderent, nec reges bella cierent.
Scilicet hinc penitus cecidit, hæc iam deniq; tanti
Cauſa mali, quo non aliud mihi triſtius ullum,
Eloquar; an ſileam? nullo pietatis amore
Dant iura: ambitione fremunt, ſtudioque ſuorum
Omnia perturbant; & dum priuata tuentur,
Publica deſpiciunt: quos iam fouiſſe decebat,
Eijciunt, minimoque Italos dignantur honore,
Externosque colunt, & quod uirtute meorum
Imperium latè partum, magnoque labore,
Hoc illis adimunt, alijs dant iure tenendum.
Deligere imperio, belloque, opibusque potentem
Quod fuerat reliquũ, hoc Latio quoq; munus adeptũ
Pro regno Auſoniæ quos non in prælia reges
Dura vocant? quæ non ſpargunt mala ſemina belli?
Hic rigido flauos accerſit ab axe Sueuos:
Hic trahit auricomos ſæua in certamina Gallos:
Ille actos procul Herculeos armauit Iberos.
Quippe fouent parteis ſtudia in diuerſa potentum
Adducti; quorum eſt flammas extinguere Martis,
Et turbata odijs componere fœdera rerum
Vſque adeo inuiſum Auſonio de ſanguine prolem
Regnare. externis iam ſiqua aduenerat oris
Ad regnum Italiæ, Latij quod nominis ortu
Gens patrio foret, heu ſceptra amiſere nepotes,
Dixit, & in tenuem ex oculis euanuit auram;
Extemplò me ſera quies, ſomnusque reliquit;
Verſantemque animo iam multa, ac multa querẽtẽ

Æneadum fato, triſtis terrebat imago.
Poſtera ſiderea luſtrabat lampade terras.
Matutina Venus, totoq; micantia cælo
Sidera pellebat, cùm iam ſeſe obtulit vltrò
Roma mihi in ſomnis iterum, cui læta iuuentæ
Lumina, & egregio decus elucebat in ore
Antiquum; facieque noua ſpectanda ſenectæ
Exuuijs poſitis, oſtroque inſignis, & auro
Stabat pro templo, & capitolia celſa tenebat.
Tempora fulgebant triplici redimita corona:
Nec tam conſpicuos deus illi afflauit honores;
Æneadæ magni cùm tot duxere triumphos;
Tot ſpolijs ſummi templa ornauere tonantis;
Orbe triumphato, legumque in vincula adacto.
Ilicet obſtupui, nec mentem explere tuendo,
Nec quamuis auido potis ore expromere quicquam.
Hoc illa aduertens, quidnam mirare, quid, inquit?
Quis nouus hic animũ inuadit ſtupor? aſpice quantus
Emineat, quantum ante alios caput efferat heros
Auro præcinctum, & latè irradiante tiara;
Aurea præfulget cui veſtis, & aurea ſedes,
Omniaque ex auro, ſceptrum, atque inſigne decorũ.
Murice flagrantes, niueaque in veſte nitentes
Conſidunt proceres circùm, mitriſque ſuperbi.
Hic ille eſt noſtri pars optima maxima templi
Romulidum decus æternum Farneſius heros;
Quo pia relligio præſtabit, & vtraque tellus
Barbara victa manus dabit, & meliora ſequetur
Iura Dei, rituſque ſacros, numenque verendum

Sic ait, & victo præclarum ex orbe triumphum
Oſtendit, templisque altè ſuſpenſa trophæa.
Nam Iuuenis, flauo florent cui cærula campo,
Cuique datum Lilia, æternæ geſtare ſalutis
Signa manu, ſacrasque Dei ductare cateruas,
Ducebat niueos agitans ignemque iugaleis
Efflantes; gemmisque comas ornatus, & auro
Sidonio nitidos artus induxerat oſtro:
Tum dextra ramum auguſta, ſemperque virenti
E' lauro, læua ſceptrum geſtabat eburnum.
Signiferi lauro, lauroque exercitus omnis
Frondicoma inſignes, nec non fulgentibus armis
Ponè ſequebantur, magno comitante ſenatu.
Ibant præ longo ſolennes ordine pompæ,
Præda ingens rerum, & factorum inſignis imago,
Totque vrbes ferro domitæ, tot millia capta,
Imbelles Arabes pulſi, Libyeque bilinguis
Incola, fidentesque fuga, verſisque ſagittis
Immanes Turcæ, geminoque à littore gentes
AEre manus omnes duro poſt terga reuinctæ.
Tum vario magnum pulſabant æthera cantu;
Lætitieque modis reſonabant omnia miris,
Vt nec Scipiade Tyria de gente tot auri
Pondera, nec palmas tanta cum laude decoras
Attulerint patriæ, nec qui iam victor ab oris
Occiduis, nec tot ſpoliis orientis opimam
Rettulit ignoto prædam qui clarus ab orbe.
Ibat purpureis volitans victoria pennis,
Ibat & effulgens toto pax aurea mundo.

Centum ærei vectes ærato carcere, centum
Ferrea deuinctum claudebant robora bellum,
Tum repetit terras cælo demiſſa ſereno
Cana fides iterum redimita inſignibus aureis
Hoſte triumphato; rectique hinc mater Amoris
Humana ætherijs incendens pectora flammis;
Hinc depicta ſinus, lætisque decora ſmaragdis
Spes ignara mali, ſpes fida, atque inſcia quenquam
Fallere, tres certè vnanimes, ſanctæque ſorores.
Tum pulchræ comites, felix concordia rerum,
Harmonia indulgens choreis, fidibusque canoris,
Et quæ cælicolûm raro demittitur oris
Lætitia in terras, diuûmque optata Voluptas,
Gratiaque, & pleno fundens ſe Copia cornu.
Qualis erat Diuûm genitrix Berecynthia quondam,
Dura giganteo cùm poſt certamina bello
Exuuias victor cælo retuliſſet opimas
Regnator ſuperûm; dextra qui fulmina torquens
Præcipites atro tandem detruſerat orco
Terrigenas auſos manibus reſcindere Olympum:
Idææ mentem tentabant mira Cybeles
Gaudia natorum latè victricibus armis:
Talis erat, talem ſe tum mihi Roma videndam
Obtulerat, tanta gaudens ſe in luce videri.
Tum cælo volitans vmbræ ſe ſuſtulit alis:
Exoriens Phœbus totum patefecerat orbem.

AD ELYSIVM CARACIOLVM EPISCOPVM CATANEMSEM

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI ELYSIVS.

FOrte puellares ludens per prata choreas
Duxerat, ac molli tandem conſederat herba,
Frigus & obtentu ſyluæ captabat opacum
Turba ingens Dryadum pictis admiſta Napæis.
Iamque inter corylos ingentem ſideris æſtum,
Et curas animi vario ſermone leuabant,
Auratam citharam tum pectine pulſat eburno
Euryale ad ſeptem fundens diſcrimina vocum
Carmina: dulciſono reſonant nemora ardua cantu,
Mirantur pecudes: mirantur agreſtia Panes
Numina: duratæ flexere cacumina quercus
Nam canit inſigni ſuperos qua prole parentes
Mortales fecere, polique auxere penates
Vtque Ioui Herculeas peperit Tirynthia vires
Alcmene decepta viri ſub imagine falſa:
Vt puerum Cadmea parens, qui primus eois
Quadriiugos victor currus agitauit ab Indis.
Vt Diuûm interpres pulchra ſit Atlantide natus,
Ingenioque potens ſacro Cyllenius antro.
Tum canit Heroas, Diuæ quotcunque ſuperbo
Conubio genuere viris, ſimilesque Deorum:
Iaſio quem flaua Ceres, venerata Marica

Quem Laertiadæ, quam Dardanio Anchiſæ
Alma Venus, quos Nereides, Pſamatheq́; , Thetisq́;,
Prole quidem longè antè alias felicior omnes
Pulchra Thetis: Quis enim fama non nouit Achillẽ?
Quanta viro virtus? teſtis quæ læta per arua
Terra Phrygum toties vndauit ſanguine: teſtis
Vnda cruore nouo tam ſæpe coacta Scamandri:
Teſtis qui correpta virûm tot ſcuta ſub imo
Gurgite, tot galeas Simois, tot corpora voluit:
Teſtes Iliades natorum in funera matres
Vngue caput lacerum fœdantes, pectora palmis,
Pallida cùm crebris rorarent fletibus ora.
Qualis ab ætheria Mauors demittitur arce
Fulmineas rapido ſpirans cum turbine vires;
Siue per Emathios incendat prælia campos,
Siue in Agenoreis renouet certamina Thebis
Purpurea inſignis criſta, & fulgentibus armis;
Quem ſequitur loris minitans Bellona cruentis,
Nec non Threicio ſtridens Aquilone procella.
Talis erat, talem ſeſe mittebat in hoſtem
Vulcani clypeo, & multo ſpectandus in auro
Pelides, animoque ardens ſic bella petebat.
Quid referam? aut raptatũ hoſtilibus Hectora loris,
Hectora, quo nunquam cecidiſſent pergama viuo?
Aut Martis ſobolem, Scythico quæ venit ab orbe
Auxilio Teucris, fœdatam puluere crines
AEacidæ telo Troiæ cecidiſſe ſub altis
Mœnibus? aut te materno iam numine Memnon
Fidentem heu nimium? eois quem miſit ab oris

Diua parens, magna Aethiopum comitante caterua,
Vlturum Priami clades, gratumque paterno
Facturum generi, contrà ni fata tuliſſent,
Iandudum Antilochi exuuijs lætatus Achillem
Ah male caute petis; quo non præſtantior alter
Decertare manu, atque hoſtem præuertere curſu.
Ah male caute genus, quo non præclarius vllum,
Magnanimi heroos contemnis, & inclyta facta.
Quò ruis infelix? quò te dementia ducit
Imprudens iuuenis, fatisque, & viribus impar?
Quanquam non alio vndiſonis tremuere ſub antris
Nereides bello, nec tam adduxere Tonantem
Altera in ambiguum feruentia prælia regum
Inſonuere poli, & ſtrepitum dedit vndique pontus.
Te verò extinctum crudeli funere venti
Curripiunt, vectumque obſcura in nube per auras
Frigida pernices AEſapi ad flumina ſiſtunt.
Te Nymphæ ad patrias flebant AEſapides vndas;
Te ſol purpureum tectus ferrugine vultum,
Te ſolis natæ, te ſidera matutina,
Pleiadesq;, Hyadesq;, & claro Lucifer ortu,
Ipſæque ætheriæ Themidos pulcherrima proles:
Quæ cæli obſidunt portas, quæ tempora rerum,
Quæ noctesque, diesque ferunt, & quicquid vbique
Exoritur, quodcunq; viget, quodcunque mouetur,
Ingeminant Horæ lachrymas, crineſque reſoluunt.
Te mater complexa ſinu miſerabile corpus
Heu gemit illachrymans, & queſtubus omnia cõplet
Auricomum velata caput ſub nubibus atris,

Crudeleſque Deos, crudelia & aſtra vocabat:
Quam miſerata parens ſtygias tum protulit alas
Nox atra, & totum texit caligine cælum.
Illa peroſa Iouem, & limen candentis olympi,
Infernos penetrare ſinus, maneſque profundos
Certa, vel obſcuros inter ſe condere nimbos,
Abſtulerat ſuperis lucem, & mortalibus ægris:
Nec dum purpureis retuliſſet vecta quadrigis
Alma diem, nec ſidereum repetiſſet Olympum,
Ni pater inuitam reuocaſſet fulmine torto.
Dant gemitum comites, & fletibus ora rigabant
AEthiopes: tum præpetibus ſe tollere pennis
Ante rogos viſi (dictu mirabile) regis;
Et latè extemplò ingenti ſonuere volatu:
Ter circum volitant volucres, luſtrantque ſepulchrum,
In numerum, ter conueniens ferit æthera plangor:
Dehinc veluti adductum ſtudia in contraria vulgus
Bella gerit latis plusquam ciuilia campis,
Sic ſeſe in parteis, diuerſaque in agmina ducunt,
Aduerſiſque ruunt celeres in prælia roſtris,
Pectora pectoribus quaſſant, atque vnguibus vngues
Impediunt, diramque petunt per vulnera mortem.
Has cineri dant inferias, hæc ſacra quotannis
Perficiunt, regique ſuo de more parentant.
Hunc nato implorat (ſic dij voluiſtis) honorem
Hoc ſe aurora dolens ſolatur munere tandem.
Quinetiam ſæui ſeruant nunc ſigna doloris
Imperiò Diuûm Phrygiæ ſub collibus Idæ
Flumina Memnonio (mirum) collecta cruore!

Seruatoq́ue die, quo iam Tithonius heros
Ceſsit Achillea traiectus cuſpide terris;
Annua ſanguineo perfundunt gramina fluctu:
Halitus it cælo graue olens: vt putrida dicas
Vulnera adhuc ſanie tetrum diffundere odorem:
Hæc Thetidos referens laudes tum nympha canebat:
Hisq́ue recens addit Diuûm genus, edita cælo
Italiæ decora alta: iubar tum denique pulchræ
Parthenopes canit Elyſium: vt fouere cubili
Naſcentem Charites, vitaliq́ue vbera rore
Naiades infanti admorunt: vt rupe ſub alta
Parnaſſi Aonides puerum docuere ſorores:
Fonte Meduſæo perfuſum vt maxima vatem
Calliope fecit diuino fluminis hauſtu:
Vt Iuuenem Lauru ornauit parnaſſide Phœbus,
Exceptumq́ue choro ſuperma in ſede locauit.
Tum verò hæc illi. Tu longa in veſte ſacerdos
AEtnæos populos diuina lege tuendos
Ante diem accipies; te fertilis ora Symæthi
Præſide iam latè lætabitur: ipſa Sicanis
Terra ferax largo plures dabit vbere fruges:
Aurea te ſuperûm cuſtodem ſecla videbunt
Sectantem patrui veſtigia paſſibus æquis:
Ornatum roſeo felix te Roma galero,
Augentemq́ue ſacros ritus, & templa tuentem
Adſpiciet, Latium ſummo qui cardine rerum
Magnarum ſubeas orbem, ſi verus Apollo eſt:
Cætera me prohibet genitor prædicere Diuûm.
Multaq; prætereà cecinit doctiſſima virgo

Omnia quæ pulſæ referunt ad ſidera valles:
Donec & inuito deceſſit Phœbus Olympo,
Et magnæ inuitis cecidere è montibus vmbræ.

AD PAVLVM III PONTIFICEM MAXIMVM

ANTONII SEBASTIANI

Minturni Concilium.

QVid faciat placidos Reges, quo numine tãdem
Concilium vocet, vt diſcordia dicta piorum
Componat pater ipſe, ſacro qui præſidet orbi,
Muſa mihi memora: docuit te Phœbus Apollo:
Omnipotens Phœbo rerum ſator omnia pandit.
Tu verò æterni Diuûm rectoris imago,
Cuius & ipſe potens iam numine cuncta gubernas,
Cuncta edictorum metuendo fulmine terres,
Dexter ades, noſtri, quodcunq; eſt, carminis author:
Ipſe mihi rerum ſyluam, mentemq; miniſtres:
Vt memoranda tui referantur dona laboris.
Accito ex omni, cœtu, regione, Deorum,
Concilum genitor magnis de rebus habebat:
Nuntius auditur cùm iam, candentis Olympi
Ante fores mœſto demiſſam lumina uultu
Stare Fidem, & ſanctis veneranda inſignibus ora
Exutam, cœliq; aurata intrare verentem
Limina, plorantemq;, ac ſecum multa querentem.
Quæ ſueta abiectos ſumma ſpe tollere cœlo,
Solari triſtes, animamq; excire ſepulchro,

Efficere & diuos: mentemq; explere tuentum,
Nec non multa modis aliquando condere miris:
Inſtar mortis habens iam nunc vix oſſibus hæret.
Monſtrum informe; nouaq; exterret imagine terras
Horrida, vix & mortales ſpe paſcit inani:
Qua tamen infelix nequicquam freta ſub imos
Turba cadit manes, ſtygio damnatur & Orco.
Illam intromitti iuſſit, pulſoq; timore
Fidere: & erexit placido pater ore locutus.
Ne dubita:nil te prohibet cæleſtia adire
Tecta Fides,mea magna potentia, mitte ruborem
Nata, meum munus: neq; enim mortalibus ægris,
Quorum tot ſceleraindignor, tu cauſa malorum.
Ipſi nanq; ſuo ſe id tartara pondere trudunt;
Intereuntq; ſuo transfoſſi pectora ferro.
Sed quid nam potuit faciem foedare decoram?
Quid terras fugiens amiſſo lumine uultus
Hanc repetis ſedem? aut quæ iam tibi cauſa verēdi,
Quò minus ingrediare domum bipatentis Olympi?
Hæc ait. Illa refert dictis erecta parentis:
O pater, O cælo,terraq; ſuprema poteſtas,
Ni tua placato uultu, quo cuncta ſerenas,
Iuſſa darent animos, quamuis mortalia linquam
Tecta, imploratura quidem tua numina, adire
Sic tamen informem me limina ſancta puderet.
Heu cecidi infelix paucorum crimine, ab illa
Prò mutata nimis: quam iam vigor omnia cōplens
Igneus inſpirat, diuinoq; afflat amore,
Et tua progenies cæleſti ſanguine fingit,

Viq; operum informat, vitaq; arceſſit ad auras:
AEtherio ſtabilem ſtatuit conſidere ſaxa;
Quo ſibi fundaret tuto munimine templum:
Ne quid in aduerſum moliri inferna poteſtas
Eualeat; contra hoc immota mole reſiſtat.
Iamq; mihi comites dederas, eaſdemque ſorores
Vnanimes, quarum rebus lætata futuris
Altera nil inhians aliud, te pendet ab vno,
Inte vnum tota incumbens nihil ipſa veretur:
Altera, quæ toto te pectore diligit ardens,
Diligit infeſtos in ſe quoq;, diligit omneis,
Omnia te propter digna, atq; indigna ferendo
AEquam ſe præbet, ſumma nec ſorte ſuperba,
AEmula nec laudis, nec opum; non inuidet vlli:
Vt quocunq; petam, comitetur paſſibus æquis
Vtraq;, nec tranſuerſum à me diſcederet vnguem.
His ergo ſocijs potui tot ferre labores,
Tot facere haud quaquam memorata prioribus vnq;.
Quando ante, vt ſanet ſancta inſanabile vulnus
Vmbra viri, effectum, ac deperdita corpora curet?
Vtque hominum quiſquam defunctos luce relicta
Euocet ad ſuperos? optataque lumina cæcis,
Inceſſum claudis, membra ægra trahentibus omnę
Amiſſum robur, deſperatiſque ſalutem
Reſtituat? ſi quem infenſa exagitaret erinnys,
Depellat furias, inuiſaque numina ad orcum.
Omitto vt quondam clariſſima ſydera mundi,
Quantum optat, cœlo properantia voce retardet:
Vt ſiccis magnum pedibus tranſmiſerit amnem

In columis

Incolumis, vaſtique rubras exercitus vndas
Æquoris: vt ſint monſtrifica latè edita virga
Prodigia, vt demum miracula plurima rerum.
Num loquar, vt quodcunq; ſilet, quodcunq; mouetur,
Mentis opus cenſent diuinæ? aptataque nutu
Cuncta probant rerum iam ſecla, oculiſq; remota
Ire ſub aſpectum? quo fratrum iuſtior alter
Eminet? hic viuens æterni ad luminis auras
Flamine quo rapitur? quo turbine concitus ille
Flammarum, ardenti ſe tollit ad æthera curru?
Quo dehinc conſilio conſtructa eſt lignea moles,
Vt mortale genus diro ſeruaret ab imbri,
Vndiq; terrarum qui maximus obruit orbem?
An verò memorem, vt ſummus pater ille piorum
Paruit antiqua iuſſus decedere terra,
Et prolem innumeram, & regna expectare futura;
Et caput vnigenæ ſacrum tibi ferre? quod omne
Illi ad iuſtitiam adſcriptum, quid deinde nepotes?
Quàm læti expectant promiſſa parentibus olim
Tot varijs rerum euentis, tot caſibus acti?
Iam quàm multa virûm duriſſima quæq; tulerunt
Millia, per cedem, per vulnera, perq; doloris
Omne genus? nam quid memorē partim obruta ſaxis,
Telorum ſegete horrenti partim obſita, riuos
Vndanti plenos fudiſſe per arua cruore?
Suſpenſa aduentos partim, confixaque ferro
Exhalaſſe animam? partimq; abſumpta per ignem
Subiecta (infandum) torreri corpora pruna?
Horum ego tam latè conſperſo ſanguine creui,

Horum opera ramos totum diffuſa per orbem:
Arbor opaca polo velut ardua brachia tollit,
Quam doctæ coluere manus, placidoque rigarunt
Flumine deducto, cultuq; auxere frequenti.
Hoc ſtudio genitor fructus benè culta ferebam,
Quos hilarè acciperes oblatos fronte ſerena.
Quæ licet agnoſcas tua munera ſancta, referre
Accepta haud quaquam ceſſas, cœloque dicare:
Cùm merita eſſe velis, quæ debita iure repoſcis:
Dignaq; pro rectè factis mihi præmia reddas.
Quod virtutis opus? latæ quod ſortis habetur?
Quid terris oritur? ſummo quæ ſemina cœlo
Ducuntur, quę non certè tua dona fatendum?
Hactenus hęc animis pietas, hic cultus inhæſit,
Hic amor, hoc ſtudium, hæc adeò tibi cura placendi.
At nunc impietas, gelida quę nuper ab arcto
Prodijt: atq; vtinam nunquam irrepſiſſet ad oras
Italiæ, vires nec latè acquirat eundo,
(Dÿ ſcelus infandum, Dÿ talem auertite peſtem)
Exuit heu miſeram me anima, informemq; reliquit;
Ornatumq; omnem eripuit; decus abſtulit omne;
Deijcit hærentem æterno ſub fœdere ſaxo;
Soluit amiciciam caſtæ, pulchræq; ſororis;
Qua mecum vnanimis fuerat coniuncta merendo.
Illa, mihi tanquam gratum factura, parare
Ocia ſe iactat, libertatemq; fruendam.
Non opus vt factis iter affectetur olympo:
Credulitate patere ſatis. nihil indiga noſtri
Cùm tua principio genitor diuina voluntas

Sponte ſua, ad regni partem quos ipſe vocares,
Legerit, & quæ per magna eſt clementia, iuſtos
Efficeres, cœliq; auguſta in ſede locares:
Ipſa tibi proles, pro cunctis quæ datur vna
Hoſtia, concilians mortalia pectora ſancto
Fœdere, cœleſtem cunctis placauerit iram;
Atq; omnem abluerit perfuſo ſanguine labem:
Ipſa quoq; æternum reſerarit limen Olympi:
Pandere quem huic ſoli conceſſum: vt crimen ob vllũ
Claudere non habeas poſt hac: tantum inde laboris
Suſceptum fruſtra; nec iam ſecus, atq; fuiſſe
Non ſatis id credam, quod pro omnibus illa tuliſſet;
Aut ex integro, quod partum eſt, poſſe parari.
Omnia deberi nanq; illi: ne ſibi quisquam
Omnino tribuat, quod agit prudenter, & optat.
Scilicet hoc miſeri prætexunt nomine culpam:
Vt, quodcunq; lubet, liceat; nec legibus vllis
Parerent, falsaq; hac libertate fruantur.
An non illa arbos meritò per compita dicar
Omnia, quę pingui benè culta adoleſcit in aruo,
Irriguisq; alitur fluuijs, cùm deficit imber,
Clementi regione poli, ſi euecta ſub auras,
Frondentes effuſa comas, ramosque decora,
Optatos pariat fructus: ornatur honore,
Multosq; inſigni cultu ſeruatur in annos;
Sin ferat illa nihil, ſqualet negletta, peritque
Extemplò diris, decus omne amittit, & aret,
Excidenda fabro, aut flammas auctura coruſcas?
Cernis triſte nefas fuſum per regna piorum.

Omnia quàm latè ſerpat, quo corda veneno
Imbuerit, cùm quisq; ſuo iam impunè loquatur
Arbitrio rerum de ſumma, animoq; ſiniſtro
Explicet, vt ſentit, diuinæ oracula mentis,
Vel cui non vltra crepidam prodire liceret.
Iam pauci decreta patrum, & tam firma priorum
Dicta probant: mores veterum, ritusq; ſacrorum
Mutare inſtituunt: quos tot per ſecula ſeruat
Relligio, nulloq; aliter iam tempore conſtat
Seruatos: ea nunc miſeros dementia cepit.
Iam ſimulachra vetant fingi, atq; auguſta locari
Templa viris, inter ſuperos quos ipſe cooptas,
Atq; inter caſtos æterni corporis artus,
Corporis arcani, cuius caput vnica proles
Ipſa tua, humano Deus ipſe è ſanguine cretus.
Illos deſpiciunt, illis incendier aras
Heu prohibent, tanto quos tu dignaris honore:
Et quorum meritis, precibusq; haud pauca dediſti,
Hos indignantur diuos in vota vocari.
Scilicet hoc demum minuetur gloria nati,
Quo certe augetur: Diuis quando ipſius ergò
Mitia ſupplicibus cumulant altaria donis:
Ac ritè hunc ipſum caſti venerantur in illis.
Quin & pontifici Romano, ſumma poteſtas
Quæ fuerat quondam, nulla eſt authoribus iſtis,
Omnia qui tentant peruertere, iusq;, piumq;:
Ac ſi iam nulla ſtatuiſſet lege daturum
Nomine iura ſuo populis hunc optima proles.
Iam ratione regi mortales, iam quoq; agendi

Liberius vim omnem, ac naturæ lumina tollunt:
Quæ non extinxit labes contracta, ſed atris
Noctibus obduxit diuina luce fugandis.
Hoc tua perfecit ſoboles: hoc muneris ipſe
Eſſe iubes noſtri, ſolis virtute potenti,
Cuncta ſerenanti, atq; æterna luce nitenti.
Verũ ego tam multis quid te nunc demoror? an non
Quæ meminiſſe pudet, longè peiora ſuperſunt?
Prò ſcelus, interris prò quantum audacia creuit?
Quid nam tartareum regno ſpoliaſſe tyrannum
Profuit, atq; imo barathri ſub gurgite vincto
Immenſa æterni circundare pondera ferri:
Si tot vinclorum disruptis orbibus ille
Euolat, & magnas immani turbine terras
Eruit, inſpirans dirum per corda furorem?
Ille ſibi arctoa ſedes regione locauit,
Regnorum, ac latè occiduis dominatur in oris:
Improbus huc illuc mortalia pectora verſat:
Inque dies duri ſpargens noua ſemina belli,
Heu rapit infeſtos ſæua in certamina reges:
Excitat & pridem reſides in prælia gentes:
Infandamq; pio infundens ſub nomine mentem,
Heu quantum miſeros decepit imagine recti.
Sola fides per rura, fides iam ſola per vrbes
Auditur, ſolamq; fidem poſſe omnia iactant,
Cætera nequicquam attingi: quaſi nulla piorum
Ante fides fuerit, quorum tot facta leguntur.
Dumq; adeò ſimulant colere his me vocibus vnam,
Heu ſceleratum inſigne notæ mihi turpis inurunt.

Dedecus hoc, oro, has maculas nunc ſumme Deorũ
Tolle, fideq; fidem redde, amiſſumq; decorem:
Tolle nefas genitor, ſæuumq; expelle furorem:
Si cœlum, terraſque tuo ſine numine miſcet.
Da ritus ſeruare ſacros, moreſq; vetuſtos:
Arma abſint, abſit longè diſcordia belli
Cauſa: boni coëant æterna in fœdera reges.
Sancta per obteſtor, quæ plurima vulnera paſſus
Pro genere humano, tecum qui cuncta creauit,
Cunctaq; qui tecum regnat per ſecula, natus
Diuinam æterno mentem inflammatus amore;
Quæ tibi adhuc tepido oſtendit madefacta cruore,
Nec ſecus ac puro radiantia ſidera cœlo,
Oraturus opem: quorum de flumine mano
Illa ego, quę felix meliori tempore vixi.
Dixerat: & genua hærebat complexa, pedeſq;
Ore pio libans, lachrymarum fonte rigabat.
Suſcipit actutum ſancti dehinc mater amoris.
Me quoq; magne pater dolor idem, eademq' querela
Tangit, & aſſurgit maior mihi cauſa querendi.
Deſerat vt terras ſæui dura arma furoris
Nuda ſoror fugiens: at certè nomen inane
Illius auditur crebrò, menet vmbra relicta:
Qua duce ſublimes efferri ad ſidera credunt.
Aſt ego iampridem penitus toto orbe repellor
Nil de me linquens, quia nil voluere relinqui;
Et quò confugiam, ſedes hęc ſola reperta eſt,
Sedes, omne mihi quę iam ſeruatur in æuum.
Illa'ne, quæ terris ſuperos demiſit Olympo,

Reiecta eſt, quæ mortales euexit ad aſtra,
Quæ ſancta vtriſq; inter eos commercia fecit,
Aurea quæ mundo ſic deniq; vincula nectit?
Nam ſine me quondam nihil effeciſſe ſororem
Non dubium: vſq; adeò veteres vtranq; colebant,
Spemq haud incertam certis de rebus habebant
Non ſua quærebant tum commoda: non alieno
Vulnere gaudebant: non pectora feruida demens
Ira irritabat: non atro infecta veneno
Inuidia imbuerat: non faſtu elata tumebant:
Spes bona de cunctis inerat: mens omnibus æqua:
Quæ patiens operum nihil indignata ferebat:
Inq; bonam accipiens partem quæcunq; propinqui
Rem procurabat. nam te referebat ad ipſum
Omnia: te propter quæ non indigna tuliſſet?
Nunc vtinam moliri interſe incomoda ceſſent:
Nec læta aduerſis, nec triſtia corda ſecundis
Tota gerant rebus cuiuſquam; ſiue reponant;
Siue quid intentent ſtimulis agitata nocendi.
Publica qui ſumunt, priuataq; iura tuenda;
Vt ſit præſidium miſeris, vt alantur egeni,
Ad ſua cuncta trahunt compendia, cuncta reſorbet
Dira auri ingluuies, & opum implacata charybdis.
Quos non foeda Venus, quos non euincit honorum
Sacra fames? qui non laudum ducuntur amore?
Seq; humiles adeo ſimulant, vt rite merendi
Abſtineant ſtudio: nequa confidere factis,
Non donis ſuperûm videantur inertia corda:
Scilicet hac ſtulti rentur defendier arte.

Si quid agunt, faciunt, non quod feciſſe neceſſe eſt,
Sed ne cui ſtomachum moueant, neu pectora turbẽt,
Si mores veterum iam contempſiſſe putentur.
Quis ferat hæc? fateor, placidè quæ cuncta ferebam
Indigna, haud quaquam potuiſſe hæc deniq; ferre.
Da pater auxilium: noſtro ſuccurre dolori.
Hæc indignanti ſimilis leni ore locuta eſt.
Tum magni dextra fatur genitoris ab alta
Filius, omnipotens idem Diuûm, atq; hominum rex.
Tantum'ne excidij noſtris pater optime regnis,
Regnis ſupplicio, ac dira mihi morte paratis,
Intentat lauum miro molimine numen?
Vnde illi hæ vires, atq; vnde licentia tanta eſt?
Exeat vt ruptis ſtygio de carcere vinclis;
Miſceat & totum furijs comitantibus orbem.
Quid memorẽ, Eunomios, inſanę aut mentis Arios,
Neſtoriósue truces, implacatosque Seueros,
Vt quondam impulerit, nobis qui bella cierent?
Impiaq; infandi fabricetur vt arma Sabelli?
Quid Didymos referã, Theodorosq;, Euthychiosq;,
Quò furor infeſtos perduxerit improbus olim,
Aut qui vim æternam Sancto detraxit amori?
Nunquid Anaſtaſios loquar, impurosq; Nicetas
Iura repulſantes Diuûm, & ſimulachra vetantes?
Eloquar, an ſileam illaudati monſtra Manentis?
Et ſcelerum flammis quę dehinc Manichęa ſecuta eſt
Turba furens? aut ingenio qui multa dediſſet
Humano, haud quaquam agnoſcens cœleſtia dona?
Aut Arabum portenta orientis fuſa per orbem?

Iandudum Europæ latè baccata per oras
Delectas rapuit ſtudia indiuerſa cateruas
Inferni rabies ducis execranda; furentes
Quæ miſeræ præcepta ſecus mea protinus vrbes,
Ac data ſunt, capiunt: quando manifeſta recondũt,
Obſcura, vt lubet, accipiunt; quæcunq; furori
Apta putant, recinunt. an non dixiſſe beatos
Me memini, magni ſeruant qui dicta parentis,
Inque gredi ſolos æternæ limina vitæ,
Diuinæ legis læti qui iuſſa faceſſunt,
Quiq; meo multos potuerunt ferre labores
Nomine, nec duri quicquam ſæuiq; recuſant?
Multaq; præterea, quæ non ſcripſere priores,
Inſtitui ſeruanda meis. data deinde poteſtas,
Qua præcepta darent patres, ac iura tenenda,
Qui mea regna regant. horum, qui præſidet aruis
Auſonijs, caput elegi: ipſi pabula læta,
Paſcendoſq; greges ouium, ipſi cuncta mearum
Horrea commiſi frugum, diuinaq; cuncta
Condita theſauris, claues quoq;, vt illa recludat,
Cùm velit, ac reſeret ſedes, claudatq; beatas:
Quem morem coluere ſacrum per ſecla minores.
Cur leges, cur iuſſa vetant? cur ſancta refutant
Dicta patrum ſtudio ingenti, rebuſque nouandis
Ingenium exercent ſtulti diſcrimine tanto?
Futilis haud ſecus ac ſi res, aut fabula agatur.
Ergo fides iterum cultu exornanda decoro,
Spes firmanda, & amor rurſum inſpirandus honeſti;
Ac prorſus tollenda pater diſcordia terris:

Ipſaq; ſub barathro tandem condatur Erinnys.
Dixerat: haud vario aſſenſu ſimul ore fremebant
Cœlicolę genibus nixi, atq; hęc ipſa precantur.
Tum pater omnipotens ſolio ſic fatur ab alto:
Quo dicente Deûm domus alta, & cuncta ſileſcũt.
Hanc equidem cauſam iam tum tractare parabam:
Cùm ſtare ante fores cœli te nata relatum eſt.
Nunc ergo audite: atq; animis hæc figite dicta.
Quę terris fiant ſcelera, & quam multa malorum,
Vnde habeant ortum, quanto nunc agmine creſcant,
Quàm crebris ſanctę percuſſi pectora mentis
Motibus, ingrati peccandi vt deniq; finem
Mortales faciant, animiq; errata ſiniſtri
Agnoſcant, monitus noſtros, & iuſſa recuſent,
Noſtiſq;, & noſtro doluiſtis ſæpe dolore.
Quocirca Stygio demum permiſſa furori
Excidia Europæ, ſumendaq; pœna nefandæ
Stultitiæ. Verùm quando iam cladis abundè eſt,
Pœnarumq; hauſtum ſatis, ac iam ritè precantum,
Mærentumq; diu, diuoſq; in vota vocantum
Aſſiduè noſtras gemitus perfertur ad aures,
Conſulere eſt animus, diraq; hac peſte leuare
Delectos cœtus, noſtrum qui numen adorant:
Proſpiciam ignaris: quorum de mente tenebras
Diſpellam: ſanctaq; diem cum luce reducam.
Hactenus haud vetitum ſuperas errare per auras,
Poſt hac ne liceat, inferni nominis iram.
Sic ait, & niuea conſpectum in veſte miniſtrum
Aligerum vocat, ac placidè dehinc talia mandat.

Vade age care puer, Latium delabere pennis:
Illum, qui celſa AEneadum ſedet arduus arce,
Noſtraq; iam ſenior pulcherrima regna gubernat,
Pontificem magnis agitantem pectora curis,
Aſſiduè ſuperos orantem, araſq; tenentem,
Diſſidium vt prorſus tollat, vincatq; ſuperbos,
Aflare; ac dictis animi ſolare dolorem,
Auditasq; preces defer, crebraſq; querelas,
Et conſulta Deûm, & mandata trinuminis alti.
Ad Reges iubeat legatos ire piorum:
Quorum alter Gallis, Hiſpanis imperat alter,
A bello, Europæ quo. pars nunc maxima flagrat,
Auocet: optatæ placidos ad fœdera pacis:
Iungat amicicia, vinclisq; iugalibus arctè:
Horum præſidio cœtus vocet vndique in vnum,
Qui mores ſtatuunt mutandos, quiq; tenendos,
Quiquè patum decreta tuentur, quiq; refutant,
Quos noua relligio tenet, & quos priſca volentes:
Componat lites, diſcordiaq; omnia tollat
Dicta virûm: vt noſtra pecati pace fruantur,
Nanque adero, & ſanctæ precurrã mentis amore.
Dixerat. ille celer cœlo demiſſus ab alto,
Aut ſimilis Zephyro, aut potius pernicior illo,
Exequitur mandata patris: ſummumq; piorum
Pontificem alloquitur, titubataq; pectora firmat,
Et rerum docuit ſummam, & qui nuntius ipſe.
Quæ referens ſancti flammas inſpirat amoris:
Inde polo paribus volitans ſe ſuſtulit alis,
Vmbra velut volucris, tacito quæ labitur axe,

Ac rurſum tenues ſubito euaneſcit in auras.
Haud mora, tum pater, in terris cui ſumma poteſtas,
Paruit: ad regem legatos mittit vtrunq;,
Qui bello finem imponant, ac fœdera pacis
Connubio firment ſtabili, quo regia proles
Vtraq; iungatur: Gallo nubatque Sueua
Pulcbra viro virgo, & ſobolem, cui pareat omnis
Inſubrum regio, faciat: quo fœdere pacto
Concilium vocat ex omni regione piorum,
Ac fidum ſtatione locum tum maximus author
Indicit, tutus quò transfuga confluat omnis,
Et quicunq; adeo rerum nouitate mouentur:
Nanque ſui defendendi data cuiq; poteſtas,
Dicendiq; palàm, qua nam ratione trahatur:
Vt decernatur, quæ tanquam ſancta probentur,
Et fugienda pijs quæ dehinc ſint, quæ'ue ſequenda.
Quin etiam in longum cùm rem differre pararent
Germani proceres, iuuenis, cui plurima virtus,
Et formæ inſignis pulchro decus enitet ore,
Ipſeque iam ſumma cùm maieſtate ſacerdos,
Tempora cui roſeo tegit infula ſacra galero,
Mittitur ad magni pulcherrima Cæſaris ora,
Cæſaris, haud temerè parent cui plurima regna.
Hoc authore inſtans compellat vt ire rebelles
Ad cœtum, vt dicant Latij cur iuſſa recuſent
Pontificis, cur ſancta patrum conſulta refutent.
Hic ille eſt animi præſtans Farneſius Heros,
Hoc & Romanæ decus indelebile gentis,
Cui latè ingentes rerum commiſit habenas,

Et ſacri clauum imperij, totumque tuendi
Præſidium magni merito pater optimus orbis.
Hic labor, hoc onus, hæc illi nunc maxima cura,
Conueniant tandem acciti ſimul vndiq; cœtus,
Totaque tollatur prorſus diſcordia demens:
Vt iam læti omnes optata pace fruantur:
Quod felix, fauſtumque velit pater ipſe deorum.

FINIS.

ANTONII SEBASTIANI

MINTVRNI AD CLEMENTEM

VII. PONTIFICEM MAXIMVM

PALLAS.

IAndudum patriæ canimus telluris honores,
Denſaque per ſyluas ſcrutamur luſtra ferarum.
Tu mihi, tu magni pars optima, maxima templi:
Seu tibi nunc ſuperûm diuina Palladis arte
Fas colitur, ſeu res patrias, humanaque iura
Ingenti ſtudio prudens regis. en erit vnquam
Quò mihi quò liceat tua maxima dicere facta,
Inſignes laudes, nec non decora alta parentum?
Nunc verò ne humilem ſyluarum deſpice muſam:
Ornitus, atq; Mycon, Lycidasq;, & pulcher Acãthus,
Queis latè egregium claro decus enitet ore,
Queis pharetra ex humero, et crebro manus emicat ar
Forte feras ſaxi celſo de vertice capras (dens,
Turbabant canibus ceruos, & in agmina agebant,
Cùm ſubitò læua crebris tonat inſula bombis
Arma Iouis ludens, candentem ad nubila flammam
Turbine prorumpit piceo, & micat ignibus ardens:
It cælo plauſusq; virûm, ſonitusque tubarum
Aduentante Deo, pauefactis murmure damis
Diriguere comæ, gemitusq; in faucibus hæſit:
Terque fugam molitus aper, ſpumantiaque ora
Ter ſtupuit, ſteterunque iubæ, totusq; reſiſtit:
Haud mora dehinc glomerant curſus, cãposq; patẽteis

Tranſmittunt celeres. ſed fortia corda leones
Mirifico ſtudio lætantes agmine clamant.
Intonſi montes referunt ad ſidera voces.
Pallas cuſtodes nemorum, nemora omnia Pallas,
Omne ſolum Pallas, Pallas cœlum omne ſonabat.
Aura fremens zephyris Diuûm referebat ad aures.
Proximaque immanes veniunt ad littora phocæ:
Nereidumque cohors, Glaucique exercitus omnis,
Tritonum per ſumma leuis ſalit æquora cœtus.
In numerum, faunique chorus, Dryadesque puellæ
Luſtrabant ſyluas pulchra ludente chorea.
Tum Deus ipſe loci fluuio pater Arnus ameno
Tyrrhenarum Arnus latè regnator aquarum,
Centum cui fumãt aræ, cui numina centum,
Populeos intra ramos ſeſe extulit vndis.
Illum cæruleo tenuis velabat amictu
Carbaſus, & lentæ ſalices, vmbroſaque arundo,
Flauentesque tegit crines, ſolemque coercet.
Vt domini aduentum nouit, non ſegnior alti
In montis faciem curuatur, & euocat imo
Naiadas fundo Mileſia vellera Nymphas
Carpentes, vitreo circùm variata colore,
Tumque Hyale, Drymoque, Calenaque, Paſithoëque
Compoſitis dulcem ſpirantes crinibus auram,
Alcinoe, Steropeque, Lygeaque, Dynameneque
Cæſariem effuſæ flauam per lactea colla
Per medios nitidæ fluctus, & flumina circùm
Ad citharam ducunt choreas, & carmina dicunt.
Atque alias inter longè præſtantior omneis

Sancta Deûm ſoboles pulcherrima Deionaea
Ambroſiæ niueo diffundẽs pectore odores
Sic canit, & ſilet ipſe chorus, ſilet arduus aether.
Quam pater omnipotens animo conceperat alto
Et ſummo capitis tulerat de vertite, Pallas,
Pallas & ingenij iubar, & mens certa parentis,
Intendens oculos cùm alta ſpectaret ab arce,
Qua ſibi terrarum meliore in parte locaret
Sedes (tantæ adeò mortalia pectora adire
Molis erat, toto & ſophiam diffundere cœlo)
Ecce nitens animi claro deſcendit olympo,
Et valido prudens tremebundæ cuſpidis ictu
Pinguibus albentem baccis monſtrauit oliuam.
Ergo Cecropias victrix ſibi comparat ædes
Ingenij claras diuino lumine Athenas,
Vnde & doctorum ſoboles æterna virorum,
Abdita qui rerum naturæ clauſtra recludunt,
Conſilijsque regunt vrbes, & legibus ornant,
Quæ caligantes bellatrix condidit arces.
Aegidaque, ingentemque haſtam, galeamque rigẽtẽ
Excoluit: quæque inſignes diuinitus arteis
Prima olim extuderat nobis cæleſtia dona.
His, vbi Cecropidæ inſanis cecidere ſub armis,
Ardentisque animi illa acies obtuſa refugit,
Poſthabitis, claram ſpolijs, claramque triumphis,
Quam cœlo æquari longè proſpexerat, vrbem
Aeneadum coluit opibus, belloque potentem.
At vero æternas non dum ſibi ceperat aras,
Nec cui diuinas animi committeret arteis,

Quique

Quique Iouis ſummi templum curaret, habebat.
Verùm vbi te Medicum magnum decus edite cœlo
Te patriæ columen nouit perdocta Minerua,
Quamque ſuos dominans latè protenderet agros
Clara armis, clara ingenijs Florentia, Diuûm
Alma parens, patrumque domus: & maxima rerũ,
Inſignis pietate tua, meritiſque tuorum,
En tibi nunc magni patris aurea templa Tonãtis,
Diuinasque animi gaudens tibi credidit artes:
Æternumque ſacras patriæ ſibi dedicat arceis.
Salua ſancte Iouis cuſtos, & cardinis inſtar
Quo laudata fides, quo nititur ardua Pallas.
Dixerat: ad vitreas ſedes rediere ſorores.
Serus agens ſtellas veſper claudebat olympum:

ANTONII SEBASTIANI
MINTVRNI AD ILLVSTRISS.
ANDREAM CARAFIVM NEAPOLITANI REGNI PROREGEM
MEGARIS.

Quis nouus hic ignis? tãto quę lumine flamma
Lætitiæ ſigno? Quis tot noua fabricat arma
Ignipotẽs? Quis ab ętheria nouus ĩtonat arce
Iuppiter? Illuſtris quæ longo hæc ordine pompa?
Agnoſco optatæ præclara inſignia pacis.
Illa Iouis magni, ac Themidos pulcherrima proles,
Iuſtitiæque Dice Iubar, & blandiſſima mater
Eunomie charitum, caſtæ, ſanctæque ſorores,
Atque opera, atque optata ferunt mortalibus ægris
Ocia, pacatumque regunt virtutibus orbem.
Ipſa quoque æterno concretum fœdere mundum
Conciliat: Nanque antè pater primordia rerum
Compoſita, hinc pacem, litem è regione locauit.
Quarum indigeſtam commiſto ſemine molem
Altera perturbat miro certamine rerum
Hoſtis in obſcuro thalamo ſine coniuge nata
Hanc Deus ardenti ſtellarum luce corona
Auxilio pacis litem meliore diremit,
Et diſtincta nouis inter ſe elementa figuris,
Cuique ſuas tribuens parteis, atque aurea nectens
Vincula, firmauit quin vera vt fama priorum,

Primus amor, longeque alios antiquior omneis
Ante Deos, diuina vſus ratione creauit
Omnia, digeſſitque ſuo quæque ordine certo.
Hunc Dea non vſquam comitem, nec Gratia linquit.
Nunc eadem toto gaudens volat aurea cœlo:
Gaudet agens currus proprio frondentis oliuæ
Ornatu inſignes, pulchro comitante Deorum
Agmine; Atlantiades ſummo demiſſus olympo
Venerat imperio patris iam nuncius ales:
Aurea quem rapido ſimilem talaria vento
Orbe ferunt toto, terram'ue, aut æquora ſupra:
Tergeminam ipſe manu virgam: quæ curua dracones
Herculeo iunctos nodo, gyroſque trahentes,
Inque orbem flexos, & ſomno lumina captos
Implicat: illa hominum permulcet corda, Deûmque,
Atque eadem inflammat, nec non cæleſtia dona,
Diuitias affert, auro clariſſima pacis
Arma Deæ: hinc ſequitur nympharũ exercitus omnis,
Quæ ſyluas, quæ prata colunt, quę fluminis vndas,
Niſigenumque cohors, thyaſo ludente per herbam
Cum puero Semeles: ſæui ſolamen Amoris
Pan inter Satyros tenui meditatur auena.
Illinc Nereides iam tuta per æquora vectæ
Quinquaginta humeris Tritonum adamabile pondus
Lætantes ſaliunt inter prægrandia cete,
Ante alias Thetis, & Panope, Galateaque virgo,
Protoque, Actaeeq;, Galenaque, Dynameneque:
Ipſe pater delphinas agit, ſpumantiaque addens
Frena feris fertur glauco velatus amictu:

Inſequitur Phorciq; chorus, Glaucique caterua:
Tortilis immenſum reſonat per littora concha.
Hic inter Charitas ludens, facilesq; Napeas,
Huc illuc volitat diuûmq; hominumque cupido
Dulcis Amor, tenditq; manus, & ſpicula torquet:
Blandaque pertentant inſanam gaudia mentem.
At verò inſignis lauro, & victricibus armis
It prae purpureo volucris Victoria curru
Barbaricam ad prædam vocitans, huc tendite curſum,
Huc rerum domini, colitis qui numina vera:
Sat mihi tot crebrò vos inter adiſſe labores.
Hanc ſequitur pulſo præfulgens Gloria bello:
Arduus impletur latè clangoribus æther.
Tum pater è vitreis gaudens ſeſe extulit vndis
Populeas inter redimitus arundine frondeis
Aduentante Dea, natasque è ſedibus imis
Euocat in ſuperas cœli Sebethidas auras,
Qua Deus ipſe Deæ, magno inflammatus amore
Parthenopes tacitè fluuio Sebethus amœno
Optatos petit amplexus, per floridaque arua
Perque ſoli culta, & Cerere, & felicia Baccho
Coniugis in gremium Euboicis allabitur oris.
Illæ auro incinctæ, & maculoſæ tegmine pellis,
Non incompoſitæ, plaudunt per prata choreas,
Eulimene, Meleteque, Lygeaque, Pulynomeque:
Atque choro lætum ludunt Pæana canentes
Cymoque, Eioneque, Pherusaque, Lyagoreque.
Ipſa parens Megaris medijs in fluctibus aſtans
Pulchra Deûm ſoboles ſeptem ad diſcrimina vocum

Hæc loquitur numeris, toto ſilet axis olympo.
Felix antè omneis, felix Carafius heros,
Regia cui patriæ latè mandata poteſtas
Cæſaris imperio: nouit nanque omnia prudens
Quæque domi præſtent, quæ ſint & maxima bello,
Et mores hominum multorum vidit, & vrbeis.
Magna viro virtus, viridisque, & læta ſenectus:
Quem nec longa dies, nec tu labor improbe vincis.
Quid referam? vtque armis, & ſeditione frementem
Hic regat Auſoniam, rerum ſtudioque nouarum
Ardenteis animos diuino temperet ore,
Vtque alto è ſolio abſenteis euicerit hoſtes
Conſilijs, quos non alij fulgentibus armis?
An verò aſſiduè vt populis det iura ſuperbis?
Salue magne parens patriæ claro edite cælo:
Sint non parua tibi magnarum præmia rerum
Dum regis Auſoniam, duo maxima pectora Regum
Conciliata Deæ venerando numine pacis,
Et ſancta Veneris flamma, & Iunone ſecunda:
Quos bello implicitos, nec iniquo tempore flectunt
Pontifices prece, nec lachrymis miſerabile vulgus;
Vt tua Parthenope ſtudijs ignobilis oci
Gaudeat, & pulchro placeat te principe cantu.
Tuque adeò bona, principium tu diua bonorum
Huc ades, æternumque mane voluentibus annis:
Ne contrà, infandum, Diſcordia cauſa malorum:
Quæ certe in numerum nequaquam aſcita Dearum
Eſſet (nanque polo cecidit deiecta ſereno)
Ni pulchræ æterno pacis certetur amore.

Qui gerit armipotens bellorum horrentia Mauors
Munera, Acidalio traiectus pectora ferro,
Inque oculos inbiat Veneris, placidamq́; quietem
Corpore deſeſſo cupiens ſe reijcit almum
In gremium, & roſeo pendet reſupinus ab ore.
At vos ò pueri manibus date balſama largis,
Spargite humi flores, implete altaria donis:
Iam Dea iam venit redimita inſignibus aureis:
Quod felix, fauſtumq́; ſinant, & fata ſecundent.

FINIS.

AD IOANNEM FRANCISCVM ANTYSIVM.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI DOMICILLA.

SIccine, muſarum læta plaudente chorêa
Saltanteis inter Satyros, pictasque Napeas
Per Latios ſaltus, per pinguia culta Maricæ
Me potuiſſe putas iucundo ludere verſu;
Quà Deus optatum tacitis per labitur vndis
In gremium, amplexusq; petit, placidamq; quietem
Auſonidum Lyris latè regnator aquarum;
Corpora cùm raperet peſtis, clademq; cieret?
Peſtis dira malum, quo aliud non triſtius vllum,
Horrificis emiſſa ſacri de faucibus orci
Sæuit, & actutum omniuagis effunditur auris:
Parua ortu primo, dehinc toto agitatur in orbe,
Inque dies auidè magis, ac ſeſe altius effert
Peſtilitate vigens, & cladibus aucta ſecundis:
Sed bacchata diu vires amittit eundo,
Et tandem ſtygias repetens miſeranda tenebras
Occidit, vt, quam nec medicis Podalyrius herbis,
Nec magicis Cælo quæ vel deducere Lunam
Carminibus potuit, votisque vocatus Apollo
Pelleret, ipſa ſuo curſu defeſſa recedat.
Interea horrendum ſtridens genus omne ferarum,
Omne genus pecudum, & mortalia pectora latè

Irrupit, ſtragemq; dedit vis effera morbi;
Corrupitq; lacus diris imbuta venenis:
Pabulaq; infecit turpi fœdiſſima tabo:
Atq; ingreſſa ſolo magnas penetrauit ad vrbeis,
Et penitus vacuas adytis euertit ab imis;
Quin & tabificum tumefacta per ęquora virus
Sæua agit, & vitreis Nerei de ſedibus vrgens
Monſtra ciet, duroq; in littore fluctibus atris
Proluit, & fœdas inſueta ad flumina phocas
Pellit: nam teneras infeciſſe ætheris auras
Haud mora, qui cæli toties incanduit æſtu
Spiritus, alituumq; genus, prolemq; volãtum
Præcipitem exitio picea ſub nube dediſſe.
Tempore non alio deſpecta eſt gratia fratrum:
Et miſeri natos heu deſpexere parentes:
Heu nec amicitiæ ratio, nec ſanguinis vlla:
Turpia ſub dio nullo diſcrimine tabo
Viſa ante ora patrum vulgò iacuiſſe per arua
Corpora, prò pietas, ſanctoq; carere ſepulchro:
Quorum adeò graue olens altum petit aëra teter
Halitus, vt vel contactu volucresq;, ferçq;
Abſtineant, aut ſacra fames ſi tangere cogat,
Illicet exutas vita cecidiſſe videres.
Illam Perſephone, lęuo quam ſæuus Apollo
Numine, & impulſus diro compreſſit amore,
Tantorum, vt perhibent: ira irritata malorum,
Vndiq; & obſcura noctis caligine ſepta
Edidit horrendum, & dictu mirabile, monſtrum.
It concuſſa caput crebris feruoribus ardens,

Flagranteiſque, cauoſq; oculos, & lumine captos,
Clauda pedes, abſciſa manus agitante furore,
Terrificaq: furens facie; cui vultus & acer,
Triſte ſupercilium, caua tempora, & arida pellis,
Frons intenta riget, plenæque ſonoribus altis,
Demiſſæ aures: compreſſis it naribus ater
Sanguis, & obſtructo tetrum ciet ore cruorem,
Lingua grauis motu, atq; obſeſſis faucibus haeret
Vox animi interpres, & creber anhelitus alto
Cum gemitu, aut ingens, raroq; coortus odore
Infenſus, quatit horrenteis vix edita & ægros
Tuſſis anhela artus, fellis vomit atra venena,
Profluit & croceis, & tenuibus excrementis,
Illoto ſudore madent ſqualentia colla,
Et deuexa fluit non æquo pondere ceruix,
Corripit aſſiduè neruos, perque ima recurſat
Oſſa tremor gelidus, tendunt defeſſaque longo
Ilia ſingultu, papuliſque ardentibus arent.
Illuuieque pereſa rubent, & corpore toto
Membra labant, tactu ſolo frigeſcere credas,
Verùm adeò interior latè vis ignea feruet
Omnibus in venis, vt non maioribus Aetna
Ignibus ardeſcat, medijs aut fluctibus ardens
Inarime, piceo ſi quando turbine flammas
Improbus Enceladus vomat, immaniſ'ue Typhoëus,
Nec verò in fonteis gelidos, fluuioſq; liquenteis
Sedatura ſitim, nec non & frigus amicum
Captatura dare, aut puteis merſare profundis
Profuerit: dulci non vnquam lumina ſomno

Declinat, cæli medio ſed nubibus atris
Circunducta furit, lethæasq; acta per undas
Tam longa extemplò cunctarum obliuia rerum
Haurit, vt interdum nec ſeſe agnoſcere poſſit:
Pallida Gorgoneis faciem præcincta colubris
Tiſiphone ſequitur ſtygijs egreſſa latebris,
Tiſiphone diras alias antè vna ſorores
Luctifica, irasq; impellit, morboſq;, metumque.
At Domicilla bonis ſedes dilecta Camenis,
Aonidum choreis magnum decus addite Anyſi.
Multa voluptatum genera inter amœna vireta,
Æternumq; nouo ſeceſſus tempore lætos,
Nomine quos ornant diuino laurea Phœbi
Serta, afferre tibi potuit, ſeu carpere flores,
Seu matura iuuat non vno è ſemine poma,
Optima ſeu flauæ Cereris, ſeu dulcia Bacchi
Munera, delecta in viridi ſeu gramina colle,
Seu rarum in dumis holus, atq; hortenſia dona;
Seu Zephyris nemorum denſas motantibus vmbras
Rauciſono placidè fugientes murmure riuos,
Multiloquisq; modis volucres audire canoras,
Siue inter faciles Charitas, Driadasq; puellas;
Exercere choros, dicenda ad carmina ſiqua
Numina commoueant, ſeu celſi è vertice montis
Proſpectare libet, vehemens quà ſumma Veſeui
Ad iuga flat Borea Bacchi felicia donis,
Inde & Sarraſtes populi, Lucanaq; iuxta
Æquora, frugipotens & cum Stellatibus omnis
Naturæ gaudentis opus Campania campis,

Cernitur, hinc & perpetuò labentia curſu
Flumina, Vulturnusq́; grauis, Sarnusq́; ſalictis
Inclytus, & Clanius nimium vicinus Acerris;
Hinc & Surrhentini æquantes Maſſica colles,
Et diſcluſa ſolo, promontorioq́; Mineruæ,
Hinc maria, & magni Capriæ qua Cæſaris arce
Inſignis claro quę potens Acheloia cantu
Inſula Tyrrhenis quâ circunfunditur vndis:
Hinc & quâ mira eſt nitidi clementia cœli
Littora Parthenopes pulchro celeberrima tractu.
Fortunate ſenex, cui tam iucunda tenere
Rura datum, lateq́; locis gaudere beatis
Sic Dea, quæ rebus ſolet inuidisſe ſecundis,
Sit bona, ſit felix, optata tibi ocia ſeruet:

FINIS.

AD ILLVSTRISS. ET MAXIME
REVERENDVM CARDINALEM
POMPEIVM COLVMNAM:
ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI
VIRTVS.

TE genus Herculeũ, & magni pars optima Tẽpli
Ipſe canam, cœptis valeant ſubſiſtere vires.
En erit, vt ſolidæ liceat decora alta Columnæ,
Inſignesque patrum faſceis, oſtrumq; ſuperbum
Dicere, ſubiectasque vrbeis victricibus armis?
Quid magis optandum? quæ gloria tanta futura eſt?
Non mihi ſi rerum diuino carmine cauſas
Tradere contingat, lateque aperire futura,
Vnde ardens animis vigor, & cœleſtis origo,
Vnde hominũ genus, & volucrũ, pecudumq; propago,
Queq; pater magno fert monſtra ſub æquore Nereus,
Vnde quoque & cœlum, naturaq; pendeat omnis,
Quo tandem redeant, quo ſint primordia rerum
Ordine diſtincta, vt penitus mens fuſa per artus
AEternum moueat, paſſimque vt ſpiritus ingens
Intus alat, quanto circundet corpore moles,
Quot peragat curſus, quot ſidera torqueat axis
Aureus, vt puris circunfluat ignibus æther,
Aëris vt toto conſerta meabilis aura,
Omniuagis curuam in faciem confluxerit vndis

Oceanus, medio tellus in cardine, & imo
Vt librata ſua ſteterit, atque vndique cœlum
Æquè ſuſpiciat, demum quodcunque per orbem
Omniparens natura poteſt, quodcunque mouetur.
Interea verò tenuem ne deſpice muſam:
Quanquam Calliope celebrat tua maxima facta,
Calliope antè alias longè præſtantior omneis,
Quæ rerum ſequitur dominos, & laudibus ornat.
Sæpè etenim calido placuerunt cymbia lacte,
Viſaque cœlicolis mica eſt non parua, quòd illis
Cornibus auratis pulcherrimus hoſtia taurus
Sæpe cadat, mollesque ferant ſua thura Sabei.
Quæ tam diues opum domus eſt, quę ſit Ioue digna?
Illum parua quidem, ſed grata Philemonis vna
Pauit menſa Deum, pauit quoque pauper, & hoſpes
Hyreus, ſed quo non hoſpes iucundior vnquam,
Vt nitido æternum teſtantur munera cœlo.
Eſt via, ſublimeis qua ducit ad æthera virtus,
Ardua: dis geniti tantum ſuperare laborem,
Haud omnes potuere, tenent nemora inuia circùm,
Flumina, quæ longè voluuntur fluctibus atris,
Et qui verticibus contingunt ſidera montes.
Nam Deus in ſummo tantarum limine rerum
Ponit Idumeas magno diſcrimine palmas,
Inſigneisq; graues heroas ferre labores
Annuit, & toto profugos iactarier orbe,
Plurimaque & terris perpeſſos, plurima & alto;
Gloria quæ maior tandem ſic fortibus auſis,
Emineatque animi virtus inuicta periclis.

Quem referam? an qui præclari tibi maximus author
Sanguinis Alcides. nam, cùm Tirynthius heros,
Fama eſt, occiduis rediſſet victor ab oris,
Magnanimoque Herilo, quanquam Feronia mater
Treis animas illi dederat, Præneſte ſub ipſa
Abſumpto, inſignis ſpolijs graderetur opimis,
(Nanq; Herilus vrbem longa obſidione premebat,
Dum vetitos nimium peteret, ſacroſque hymenęos
Coniugis optatæ miro inflammatus amore)
Rex Prænestinus populo comitatus ouanti
Cæculus excepit lætum, generumque petiuit,
Quem ſibi promitti fatis, monitiſque Deorum
Senſerat, &, ſiquid veri mens augurat, optat.
Illi, quod placitum ſuperis, iam nulla virilis
Progenies aderat: tam priſcas filia ſedes
Ingenio præſtans, nec non pulcherrima virgo
Sola tuebatur plenis iam nubilis annis.
Hanc Deus auguſtam imperijs, fatiſque nepotum
Tergemina illuſtrem fecit tum prole parentem,
Eximiumque dedit, propriũque inſigne, Columnam;
Quod foret & tanto generi indelebile nomen,
Omen habens magnum: Columen nanque inde futurũ
Aeternum illud erat patriæ, rebuſque Latinis.
Exin tantorum ſeries numeroſa nepotum
Heſperio in Latio longum dominata per æuum,
Quanto præpetibus referunt ſeſe ordine pennis
Aëra per liquidum volucres ad prata Cayſtri.
Alcides ergo & fato Iunonis iniquæ,
Et patris imperio tot adire pericula iuſſus,

Quas non terrarum ignotas errauit ad oras,
Vt totum proprijs pacaret viribus orbem:
Quem Deus expleta metuendi numinis ira
Tot paſſum admonuit ſuperis, cæloque ſacrandum.
Illi, purpureo cùm iam pubeſceret ore,
Aonias inter ſyluas, & luſtra ferarum
Obuenere viam Virtus, & blanda Voluptas:
Virtus aſpectu vehementi, atque acribus ardens
Luminibus, durato horrens & corpore virgo,
Cui ſublime pater dedit os, & verba ſeuera.
Illa per ingenteis toto penè orbe labores,
Per dubios tractus, per multa pericula rerum,
Quæ mare, quæ tellus dederit, quæ maximus æther,
AEtherium ad montem, & non exuperabile ſaxum
Durum iter oſtendit: cingunt latera ardua ſyluæ
Verum, ait, aſpicias, præſtanti gloria forma
Vt veniat poſt terga volans pernicibus alis:
Ferrea vox illi, totumque audita per orbem.
Ante tibi illuſtreis, diuino lumine vultus
Cernere non erit, è ſummo quàm vertice olympi
Auricomum ipſe legas durato pollice ramum.
Nec te terruerit, ſequitur quòd paſſibus æquis
Inuidia infelix, faciet nihil improba tandem:
Ipſa ſuo immiti morietur vulnere ſola.
At miris ornata modis, facieque decora,
Et nigris tam læta oculis, quàm fronte ſerena
Nec non dulce ſonans petulanti voce Voluptas,
Flauenteis effuſa comas per eburnea colla,
Et roſeo ſpirans ſuaueis è vertice odores,

Et pulchro inceſſu mollis, placituraque geſtu,
Qualis ab ætherijs iam quondam venerat oris:
Quæ Iouis imperio tulerat mortalibus ægris
Perniciem, morbosque omneis; furtũque Promethei
Vlta erat, & mentem infandam: nam cauſa malorum
Nulla prius fuerat, longa ſed pace per orbem
Aurea feliceis annos traduxerat ætas.
Virgineos illi vultus diuinitus ipſe
Ignipotens dederat: lætosque afflarat honores
Alma oculis Venus: & cœleſti lumine Pallas
Egregium decus addiderat: Cyllenius ales
Illecebras, tacitosque dolos, ſimulataque verba:
Candida purpureis ornarant floribus ora
Horæ pulchricomæ: & linguis blandiſſima Pithò,
Et toto Charites ſpirabant corpore pulchro:
Dulce malũ, atque Deûm ſemper lachrymabile donum
Hæc per odoratum nemus, & per florea rura
Ludenteis inter Satyros, pictasque Napeas,
Omneis delitias, atque omnia pacis amatæ
Ocia, & inſanæ monſtrabat gaudia mentis.
Amphitrioniades quamuis puer, attamen altum
Inſuetumque iter haud obliquo tramite legit.
At ſiqua propiora petas exempla tuorum
Aſpice vt, immitis ſolio dum Iuppiter alto
Flumina torqueret, caderet quibus alta Columna,
Ignotus fugiens multas peragrauerit oras
Ille potens, ille ingenio præclarus, & armis:
Qui tamen, vt iam victa grauis fortuna ferendo eſt,
Palladis auxilio, voluit quod maximus vltor

Ipſe

Ipſe pater Diuûm, patrias remeauit ad arces
Iam victor; longeque ſibi per ſecula nomen
Clarius inuenit. nec tu mihi Proſper abibis,
Tu decus Italiæ, tu vero nomine Proſper,
Indictus, patria quantum procul actus ab vrbe
Fortunæ imperijs per tot diſcrimina belli,
Per uarios caſus omneis inuicte labores
Exuperare potes, magnumque aſcendere olympum.
Tuque adeo ad ſummos fato accerſite triumphos,
Dum patriæ antiquam, magnæ ſpes vltima Romę
Imperium ingenti ſtudio defendis, & arma
Barbara propellis, tanto ſi turbine rerum
Aſpera tempeſtas Latias euerterit vrbeis,
Fit certè vt ſit nota magis tua maxima Virtus,
Maioresque vigens tandem tibi reddat honores.
Quantas Herculeis acies tibi mittit ab oris,
Quantas & gelido magnus de cardine Cæſar,
Cæſar magnanimus quo non felicior alter?
Heu quantam Auſoniæ cladem, quàm multa ciebũt
Funera: ſed genus à ſummo qui ducis olympo
Parcere te iubeas, finemque imponere bello.
Nil grauius bello, diuino munere pacis
Nil melius, bello ceciderunt maxima regna
Magnanimæ Europæ, latęque orientis habenæ.
Ecquid præſtiterint tandem, quid triſtia bella,
Perpetuo optatæ niſi pacis amore gerantur?
Iam mihi, pectoribus vatum ſi Phœbus Apollo
Verus ineſt, ſolet ille Deus vatum ora mouere,
Magno pro templo, & Capitolia celſa tenere
Viſus es, atque altè populo dare iura ſuperbo.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM
MARCVM ANTONIVM
COLVMNAM
ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI
GENEAZANOS.

AB Ioue progeniem, Latiæ primordia gentis,
Herculeumq́; genus, clarũq́; inſigne colũnam,
Æternum ſobolis nomen, iam dicere primus
Incipiam. inde omneis tantarum gloria rerum
Inclyta per terras diuino lumine fulget:
Totq́ue virûm magni faſces, tot ſceptra decora.
Illa quidem antiqui maiorum ſanguinis vna
Perpetuis fato dominans tot ſecula regnis
Enituit, latè nitet, æternumq́ue nitebit,
Dum reſeret Ianus, claudat dum templa vetuſta.
O mihi ſi vitæ tantum mihi parca propaget,
Maxima quò valeam terrarum ferre per orbem
Facta Ducum, & belli, & pacis clariſſima laude.
Interea cœptis aſpiret Phœbus Apollo.
Dic nobis, dic Diua, dedit cui gloria nomen
Muſarum decus, & vatum ſpes optima Clio:
Seu nunc te gemino Parnaſſi vertice fontes,
Seu natale nemus teneat, ſeu Pieris alma,
Hûc ades, & tecum veniat chorus ipſe ſororum:
Vt Iouis in Latio dicatur priſca propago:

Et tanto patriæ lætetur Paulus honore,
Paulus, quem antè alios Tritonia diligit omnes
Pallas, & Aonio præſtantem, & corde Latino
Tu Dea temporibus voluiſti excellere noſtris.
Amphitrioniadæ ſumma cum laude perennem
Altoque, & terris, per tot diſcrimina rerum
Te perhibent ſociam, & nomen, famamque dediſſe,
Amphitrionadæ pandas ab origine prolem.
Rex olim antiquo in Latio fundauerat vrbem
Pluribus excellens altum Præneſte coronis
Cæculus, agreſtum magna comitante cohorte:
Illi progenies ingenti numine Diuûm
Nulla virilis erat: primo nam flore iuuentæ
Erepta eſt: priſcas & tantas filia ſedes
Egregijs præſtans virtutibus optima virgo
Vna tuebatur vinclo ſocianda iugali:
Quam genus eximium Pici, germanaque Fauni
Aegeria ediderat ſæua Iunone ſecunda.
Multæ illam italidum præclaro ſanguine matres
Optauere nurum: optauit Feronia Diua
Soractis viridi gaudens Feronia luco.
Scilicet ad pulchræ connubia pulchra petitæ
Infelix Herilus miro properabat amore
Admirandus auis, atauiſque: ſub vrbe vetuſta
Mixta viro Dea, quem lucis produxit ad auras
Argiuo regi magna de prole Phaleſi
Nec potior ſocero ſententia viſa fuiſſet
Altera, non aliter voluiſſent fata Deorum.
Ipſe crematurus Vulcano filius almo

Relliquias menſæ caſtas dum incenderet aras,
Et ſtaret iuxtà genitorem pulchra Marica,
Æterniq́ue eſſent paruis iam viribus ignes,
Vt ne ſacra quidem fieri Vulcania poſſent,
Sidus ab ætherijs demitti ſedibus ardens
Auxiliare, comis viſum cœleſtibus aras
Incendiſſe pias: & candida virginis ora
Lambere ter flammis innoxia flamma triſulcis:
Fundit apex lumen, crinesq́ue in vertice flagrant.
Nec ſecus alta domus clara fulgeſcere luce,
Atque liquens crebris longè micat ignibus æther:
Aut liquida criſtis ſi quando nocte coruſcis
Stella horrens luſtrat candenti lampade terras,
Humanaq́ue Dei ſacros argentea vultus
Oſtentat facie: ſubitò pauor omnibus ingens.
Tum pater attonitus venturi neſcius æui
Continuo clamans famulo, crinesq́ue flagrantes
Excuteret, iuſſit, ſanctosq; extingueret ignes,
At contrà vates diuinam cernimus, inquit,
Ne trepidate metu, externis è ſedibus alti
Aduentare Iouis ſobolem, quæ ſecla propaget
Auguſta imperijs, atque ipſam prole parentem
Illuſtrem fama natam, fatisq́ue futuram
Tergemina faciat: tollamus ad æthera palmas:
Fundite vina boni, ſuperis libate ſecundis.
Poſtea erat magni tecti in penetrabilibus ilex
Sacra metu, & multos iam cuſtodita per annos,
Quam Rex oſtenſam, primas cùm condidit arces
Cæculus, atque vrbem illius de nomine dixit,

Ipſe Ioui ſacrauit auo: qua ciuica fortis
Ornamenta capit, ciuem ſeruarit vt hoſte
Oppreſſo, viridi circundans tempora fronde.
Huius in extremo volucris conſtruxerat arte
Inſigni nidum, molliq́ue inſtrauerat herba:
Quo nimium dulces partus ſtudioſa fouebat.
At ſeſe attollens in ſpiram plurimus anguis
Cæruleis horrens maculis, & terga cruentus,
Arboris intactæ truncum complexus, ad altos
Scandebat ramos, volucres vt traderet aluo.
Tum miſeros lugens fœtus circunuolat alis
Infelix mater, non audens tendere contrà:
Paruula cùm nequeat proles ſeſe tollere ad auras
Ore gemens frondes plumarum verberat ictu.
Iam iam auibus potitur, teneras iam iã vorat anguis:
Cùm ſubito ſtridens claro deſcendit olympo,
Atque vrgens illum rapuit Iouis armiger ales,
Fertque volans altè pedibus, giroſq́ trahentem,
Luctantemq́ue, petit ſæuo dum pectora morſu
Saucius, atque micat linguis, diſtringit adunco
Impatiens roſtro, & tollens ad ſidera iactat.
Ille per immenſum ſinuoſa volumina verſans
Aëra, mox fertur, ſaxoq́ue infigitur imo.
Fulua auis horrendum clamans quatit æthera victrix,
Et placidè cœlo felix demiſſa quieto
Inſignes auro eripuit, gemmiſq́ue decoros
Virginis ornatus, rarum, & mirable dictu;
Dein circum volitans ſonitus dedit ore canoro
Haud paruos, capiti rurſum clangore ſecundo

Aptauit, ſubitoq́ue abijt ſublimis ad aſtra:
A læua intonuit magni pater optimus orbis.
Actutum expauit, ſtupuitq́ue frequentia vulgi,
Regia cum magnis mirata parentibus ipſa
Horrebat ſoboles: aderat ſtipante corona
Coniuge cum pulchra Rex ipſe, & regia virgo.
Interea cecinit coràm doctiſſimus augur.
Ab Ioue venturam ſobolem cæleſtibus oris,
Quæ dulcem inſano eripiat diſcrimine natam,
Incolumemq́uo domum reddat, Saturniaq́ue arua,
Imperium latè quondam, famamq́ue datura.
Tum verò Ignipotens cœlo demiſſus ab alto
Aëra per tenerum volitant cùm nocte ſilentes
Vmbræ, nec valdè regem non ſomne teneres
Rex hominum, domitorq́; Deûm placidiſſime ſomne;
Nate, ait, Auſonios, mea quàm iuſtiſſima cura,
Ne cape, ne generos: ſic certè Iuppiter author
Ipſe dedit, proprioq́ue virûm de ſanguine mittet
Egregium columen: tantis qui gloria rebus
Sit generi noſtro: cuius de ſtirpe futura
Progenies latè multis dominabitur oris.
At Rex ſollicitus monitis, oracula ſanctæ
Primigenæ fortis fortunæ clara petiuit:
Hinc diues Latium, tota hinc ſibi maxima rerum
Auſonia in dubijs quærunt reſponſa futuris.
Huc ritè accinctus ſanctiſſima dona ſacerdos
Fert bonus, & cædit pecudes altaria propter.
Hic pater, vt lectas mactauit ritè bidentes,
Cæculus orauit, magnoq́ue ex aere lebete

Accepit ſortem cæleſti numine talem ;
Non generos mihi præſtiteris Oenotria tellus:
Externi aduenient : qui cœli pondera paſſi
Ardua ſublimes ſcandent ad templa parentis :
Nata mihi quondam dicetur diua Marica :
Quæ Dea littoribus pro Minturnenſibus ingens
Sederit, & ſacro lætabitur aurea luco :
Sic pater admonitus thalamos tum diſtulit almos
Cæculus, expectans generum : quem fata dediſſent.
Nec minus ad vetitos properat, ſacroſque hymenæos
Ipſe Herilus, dirum ſeruans in pectore vulnus :
Vt quam non precibus ſociam ſibi iungere poſſet,
Impius armato tentarit milite, ſanam
Flectere ſi valeat mentem. Sonat arduus æther
Ingenti clamore virûm ; & clangore tubarum :
Inſano quadrupes ſonitum dedit improbus ore :
Tota manus latè Argiua cum gente fremebat
Lydia caſtra locans alta Præneſte ſub ipſa.
Turbantur populi : cunctas pauor occupat vrbeis:
Arma vocant omnes : Latium concurrit ad arma.
Quid facerent? Latiæ primo certamine claſſes
Audentes hoſtem inuadunt : dehinc ſæpe coactæ
Terga dare, inſtructæ paulatim in tecta vocantur.
Nam veluti impaſtum ſuadet cùm ſæua leonem
Ire fames ; armenta boum, quæ flumina circùm
Humentes tondent herbas, petit improbus altè:
Paſtor agit miſeras, cædem prohibere, feramque
Neſcius : hic primas longè, extremaſque tuetur :
Ille autem aggreſſus medias vorat ore cruento :

Eſſugiunt trepidæ: volucres timor efficit omnes:
Sic Herilus denſos vrgens premit impete facto,
Diſiecitque haſta quatiens, fuditq; Latinos.
Nam cui treis animas naſcenti, & terna mouenda
Arma olim dederat, mirum, Feronia mater,
Ipſe ingens, ardens, quod non ceſſere columnæ,
Ter vexandus erat nece, ter ſpoliandus & armis.
Quis tantum auderet? quem non perterreat altum,
Atque horrens monſtrum? procurant corpora feſſi:
Inque vicem induntur vigiles oſidere portas
Excubijs, turresque alta circundare flamma.
Contra Herilus quaſſans caput, atque cupidine flagrās
Caſtra petit, dira nequicquam mente potitus
Vt fera: quam ventris rabie, ſtimulisque furentem
Aggreſſam tauros vigilum cuſtodia pellunt
Paſtoresque, canesque: ruit tamen aſpera frendens,
Et cupiens prædam contrà venabula fertur:
Tela, facesque volant, vrget comitatus agreſtis:
Nec prius à ſæuo certamine deſtitit ardens,
Quàm grex munito ſeruetur conditus antro:
Inde dolens abit, & flammas iacit ore coruſcas.
Improbus huc animo haud ſano verſatur, & illuc,
Dum ſopor alta quies mortalia corpora habebat:
Aſſiduè cæli ſtellas miratur eoas,
Si pater Oceano ferret ſol aureus ortum:
Sæpeque flagranti viſa eſt nox longior anno.
Vt primum euecta eſt roſeis aurora quadrigis,
Sæuus equo inſedit, quæ non detraxerat arma
Obſtentans eadem, non eandem ardentia luce:

Nanque illum afflarat maiori lumine Mauors.
AEneæ galeæ fundebat vertice flammas:
Atque aciem vibrans vaſtis micat ignibus vmbo;
Haud ſecus, ac medio iactatis æquore nautis
Lumina dant flammæ præcelſo in monte flagrantes,
Cùm paſtor nocte in ſtabulis incendit aceruos
Syluarum: hos vexat patria procul atra procella.
Iamque equites, peditesq; furens luſtrarat, & omneis
Incendit dictis, aciemque ad menia ducit:
Miſſilibus micat, admotisque aſcendere muros
Impatiens ſcalis conatur, vt aggere ab alto
Poſcere nequicquam ſe hoſtes in prælia nouit:
Qui cùm prævalido ſeſe munimine ſeruent
Atque ipſe haud æquam pateretur ſæpe repulſam,
En grauiter clauſos longa obſidione premebat.
Quid memorem? lætus caperet ſua vota Tyrannus
(Explorarat enim tacitos in monte meatus:
Quos pater ignipotens ad opem conſtruxerat vrbis,
Vt vectare queant, rerum quæ poſcit egeſtas,
Atque fuga optatam quærant ſibi quisque ſalutem,
Si forte vrgerent dulcis diſcrimina vitæ)
Ni daret auxilium Alcides: nam maximus vltor,
Quem tibi rex generum toties obſtenta ferebant,
Geryone abſumpto, præda, exuuijsque ſuperbus
Iam ſeſe occiduis referebat victor ab oris:
Conſtiterat flauam Tyrrheni ad fluminis vndam,
Et Cacum Latij peſtem detruſerat orco
Terribilem facie, pridem genus vnde trahebat:
Fecerat & cæſæ bouis hîc de nomine campum.

Hûc circum volitans latè, peruenit ad aures
Amphitrioniadæ tantorum fama malorum.
Ad Regem Euandrum, patrijs qui pulſus ab oris
Exiguam poſuit Latijs in montibus vrbem,
Miſerat, auxilium, nec non ſocia arma rogarent,
Inſignes grauitate viros Vulcania proles,
Donaque præferri cælati iuſſerat auri.
Audijt Alcides: ſæuum indignatus & hoſtem,
Vt qui Iuſtitiam coleret, monitisque parentis
Fatidicæ imprimis actus, fatisque vocatus
Aduolat: Euander ſequitur cum pube Pelasga
Fati gnarus: opemque tulit cupientibus æquam;
Illicet horrendum vocat in certamina regem.
Imprudens Herilus nequaquam ſegnior illo,
Seu proprio ingenio, & materno numine fretus,
Seu fortè ignarus, quis nam ſe ad bella cieret,
Irruit: expectans vtrinque exercitus omnis
Conſtitit, atque ſuo tacitè aſpirabat vterque:
Cæculus ex alto ſpectat cum gente Latina.
Quid loquar? vt ſenſit nodis, atque aere grauatum
Herculeum robur, pugna diſcederet horrens,
Ni pudor obſtaret: flagrans vomit ore fauillas:
Terq; anima tollens triplici terna arma, remugit.
Reſponſant nemora, atq; procul ſtrepit ictibus aura.
Audijt hunc genitrix, magnumq; per ima dolorem
Corda gemens preſſit: nanque, illum, norat, vt ipſa
Fata vocent, ſuperis fati vt reuerenda poteſtas.
Quid quæris? miſero dextra Tirynthius ardens
Tres animas rapuit, totidem ſpoliauit & armis.

Inſequitur plauſuſq; ducum, cantusque cohortum,
Atque incompoſiti luſus: iamque obuius exit
Rex Prœneſtinus, populo comitatus, ab vrbe:
Obſtupuit facto ingenti, dehinc nomine tanto
Amphitrioniadæ, & ſecum portenta volutans,
Quem ſibi promitti generum reputauerat, optat.
Continuoque fuga victis captare ſalutem
Cura fuit: timor adiecit fugientibus alas.
At Prœneſtini celeres in caſtra ruebant,
Diripiuntque manu infenſi, paucoſque trucidant:
Miranturque ingens monſtrum, mentemque tuendo
Expleri nequeunt: alacres dehinc omine læto
Victorem excipiunt magnum, atque in mœnia ducũt.
Ille autem ſancto fluuio ſe cæde cruentum
Abluit, atque tibi ſacram mactauit ad aram
Iuppiter, egregium forma ſuperante iuuencum,
Exuuiasque altè victor ſuſpendit opimas:
Raptorumque patri Vulcano incendit aceruos
Scutorum. At verò dicta eſt quæ maxima ſemper
Alcidæ in loco ſtatuit rex optimus aram,
Inſtituitque diem candenti corpore tauro
Mactato: imprimis læti coluere nepotes
Munere pro magno. Talem miratus honorem
Latè epulum vulgò exhibuit Tirynthius heros.
Ibant Herculea redimiti tempora fronde,
Herculeasque ferunt diuino carmine laudes:
Iam verò oceani Phœbus properabat ad vndas.
Reſtituunt epulas, cumulantq; altaria donis:
Atque mero ſpumans circùm ſcyphus additur ingens.

Poſtquam ritè fames ſacris in rebus adempta,
Excipiunt medium rex ipſe, & Faunus euntem
Clauigerum, referuntque ambo ſtipante caterua
Per decora alta vrbis læti intra regia tecta:
Quæ pater ignipotens diuina fecerat arte:
Atque ebore, argentoque, & fuluo ornauerat auro.
At regina grauem contrà tulit obuia greſſum,
Et cum matre genas roſeo ſuffuſa rubore
Nata domus columen magnæ pulcherrima Rhea.
Vidit eam, atque oculis ignem ſitientibus hauſit
Amphitrioniades. exin cape munera noſtra
Hoſpes, ait genitrix, noſtrum teſtentur amorem,
Purpureamque auro chlamydem dedit intertextam,
Palladis ingenio mater contexerat Opis,
Et cratera grauem argento, gemmiſque ſuperbum:
Quo libare Ioui ad menſam regina ſolebat.
Accipit Alcides ingenti lætus honore:
Miraturque oculis pulchram, neque corda videndo
Expleri poterat: ſolio ſedet arduus aureo:
Atque aureis lychni pendent laquearibus altè:
Cùm vario noctem traherent ſermone profundam.
Tum Rex Vulcano genitus, Iouis inclyta proles
Fare, ait, immenſum quæ te fortuna per orbem
Duxerit, & quas'nam latè peruexerit oras
Hactenus: & rerum quæ ſis diſcrimina paſſus.
Namque ex Euryſtheo dura in certamina miſſum
Per varios caſus te nos accepimus omnes.
Iam ſilet alta domus, pendetque loquentis ab ore
Amphitrioniadæ: nam ſic incœperat heros.

Rex non Euryſtheus fato Iunonis iniquæ,
Sed patris imperium tot adire pericula iuſſit:
Fas mihi namque diu nulla conſiſtere terra,
Vt totum proprijs pacem virtutibus orbem:
Sic paſſum admonuit ſuperis, cœloque ſacrandum
Me Deus. ex toto ſuperat mihi iam nihil orbe
Tentandum: nihil horrendum, & mirabile tellus
Edidit omniparens, quod non mea brachia norit:
Vt paucis nequeam multos oſtendere caſus.
At ſi tantus amor magnos audire labores,
Quotque meum gentes robur penetrauerit ingens,
Incipiam: vos autem animos aduertite veſtros.
Dicite pegaſides, nam vos memorare poteſtis,
Cœperit vnde deus, quæ deinde ex ordine dixit.
Ille ait, vt tenera crudelis ſæua nouercæ
Monſtra manu geminos primùm compreſſerit angues.
Vt turba capitum nequicquam belua Lernæ
Aſtiterit: portenta vrgens vt Creſia mactet:
Terrorem Arcadiæ frendentem dentibus aprum:
Parthenium que decus præfulgens cornibus aureis.
Adde & monſtrificum vaſta ſub rupe Leonem;
Biſtoniosque greges ſæuo cum rege peremptos;
Thermodonteæ gemmis inſigne decorum
Virginis; atque ora Stymphalidas aere rigentes.
Vt Stygij tremuere amnes: vt tractus ad auras
Tartarei latrans æternùm Ianitor antri:
Nubigenæ vt ſtabulis claudantur turpibus orci.
Quid referam? vt bello claras deleuerit arces,
Oechaliæque oram, florentemque Elidis vrbem,

Troiamque, atque ingens immani corpore monſtrum:
Cuius & inſano clauſum vix tertius aluo
Heſperus exeuit ferro per viſcera adacto?
An vero inſignem ſæuæ Telluris alumnum
Tangere conantem terras, animamque vomentem:
Humanoque ſacram infandi Buſiridis aram
Sanguine: dehinc pelago tranſuectũ Hyperionis aureo
Cratere, ac vinclis magnum ſoluiſſe Prometheum:
Præterea qua ſol aperit, qua claudit olympum,
Oceano fines latè poſuiſſe columnas.
Vt cœlum valida ſummum ceruice pependit:
Rettulit vt mala inſomni ſeruata dracone:
Vtque acer ſurgentem Acheloum in cornua tandem
Preſſerit? at longam campano in littore pompam
Expoſiturus erat iam iam planè aggere facto.
Tu quoque Phlegræos ſparſurus ſanguine campos
Sæue gygas, vaſtasque vomens ex pectore flammas.
Demum tergemini ſpolijs, & cæde potentem
Effeciſſe lacus Cimini cum monte patenteis:
Et letho horrifica in Latio portenta dediſſe.
Dixerat. obſtupuit Rex admirabile textum
Factorum: aulæis requierunt deinde ſuperbis.
At pater Alcides male ſano pectore flagrans
Fortia vix mollem cepit per membra ſoporem:
Antè oculos fertur præſtanti corpore virgo:
Et ſiquid pulchro coràm dulce excidit ore,
Auribus excipitur. neque verò Cæculus ipſe
Non vigili cura loquitur cum coniuge ſola
De thalamis natæ, & vatum reſponſa volutat.

Vt placido victus ſomno ſimul ore quieuit,
Viſa Dei in ſomnis facies venerata parentis,
Quæ genus egregium magni veniſſe Tonantis
Diceret, ac generum, cuius portenta monerent.
Lux erat, & puro ſpectabat Phœbus olympo,
Alciden Rex alloquitur, generumque ſalutat,
Admonitusque Deûm, ſortemque ex ordine pandit.
Ille ſolo figens vultum, atque immobilis hærens,
Ora premit tacitè: nec tantum ab origine reges
Heroa excierant, nec dulcia vulnera amoris,
Quantum fatiloquæ Carmentis dicta monentis,
Illi progeniem in Latio de ſanguine Diuûm
Imperijs latè illuſtrem, famaque futuram:
Atque huius tandem credit (mens augurat altè
Si veri quicquam) thalamos oſtendere diuam.
Iam domus ornatu regali regia fulget,
Regaleſque parant veſtes, auroque decoros
Crateras ſtatuunt famuli, pictaſque caniſtris
Atque epulis complet menſas: quatit æthera plauſus.
Lætus ab ætherio deſcendit Iuppiter axe,
Dique, Deæque boni, & læta cum Cypride Bacchus:
Naiadeſque choro ad citharam cantante relinquunt
Muſcoſos latices, nec non & prata Napeæ
Floribus intextæ pulchra ludente chorea
In numerum: ſequeris tu dehinc Syluane cupreſſum
Iandudum ponens teneram, Dryadeſque ſorores
Fronde comas viridi comptæ florentis oliuę:
Tuque adeò muſæ genus excellens hymenee
Ad varios tandem luſus, moduloſque canoros

Expectatus ades linquens Helicona ſonantem:
Hymen ò hymenęe hymen adſis hymenęe.
Tibia nanque modos reddit tibi Lydia miros:
Atque viro datur eximio pulcherrima coniux:
Hymen ò hymenęe hymen adſis hymenææ.
Nec, dum Phœbus equis oriens afflauit anhelis,
Clarius illuxit: nec toto ſidera cœlo
Proſperiore vnquam luſtrarunt lumine terras:
Nec magis immoto ſtrauit maris æquora Nereus
Marmore: nam rapido prohibetur flamine ventos
Excire, atq; hyemen Iuno Saturnia nimbis:
Vt bona per liquidas præpes volitauerit auras
An non & placidis flumen perlabitur vndis?
Et noua littoribus latè florentibus ætas
Cernitur, atq; comis nemorum frondentibus altè?
An fera per lętos errauerit aſpera campos?
Ingentemque metum dederit mortalibus ægris?
Hymen ò hymenęe hymen adſis hymenęe.
Interea fauſtas pulchra cum coniuge noctes
Atque dies fauſtos felix Tirynthius heros
Dum trahit, & grauius crudeſcunt ſæua nouercæ
Vulnera, diues opum genero Vulcania tecta
Oſtendens ſocer interius ſucceſſerat aulæ:
Quam pater ignipotens ſolido cælauerat auro.
Fecerat hic omnem venturi haud inſcius æui
Progeniem magnæ pulchra de ſtirpe Maricæ
Perpetuis dominam fatis, & facta nepotum:
Aſpicit Alcides, totam miratur et artem
Exin fatidicæ vatis ſub pectore verſans

Dicta

Dicta olim, alloquitur ſocerum: ſocer optime neſcis
Hactenus ingentem cari genitoris honorem.
Hic mihi carmentes quæ iam prædixerat ipſa
Aſpicio æternum claro cælata metallo.
Sic ait: & rerum non enarrabilis ordo,
Et numeroſa palàm ſeries patefacta minorum,
Vt Deus à primo, mirandum, ſanguine finxit:
Finxerat & propria virtute ex Hercule pulchro
Pulchra tergeminos præſtantes indole Rheam
Progenuiſſe Deo, & Fauno mandaſſe docendos:
Hos Fauno multum dehinc profeciſſe magiſtro.
Tergeminusque ampla regis iam paruus in aula
Luſerat Alcides: curſu iam vertere ceruos
Per Latios ſaltus, per deuia lustra ferarum
Aſſiduè ſueſcunt, iamque acreis tendere & arcus,
Et lenta inſanis crebrò torquere lacertis
Spicula, equoſque leuem perflantes naribus ignem.
Exercere graues auro, & fulgentibus armis.
Ora, caputque Iouis referebant, pectora magni
Neptuni, & ſæui Martis qua ducitur ingens
Baltheus, hoc decore ornarat, facieque nepotes
Iuppiter, vt Diuûm nemo non ſemine natos
Crederet, & vera natorum in imagine patrem
Cerneret, atque bono, quæ rara eſt gratia fratrum,
Concordes animo populos frenare ſuperbos.
Hic quoque præclarum decus, & ſublime paternum
Addiderat nomen generi, atque inſigne columnam:
Illorum Stephanus, patriam qui mœnibus altam
Promouit, Stephanen proprio cognomine fecit:

Quem vero à Latio veteres dixere Latinum,
Telephus inuenta Laurenteis condidit arces
A lauro appellans, Romanaque regna parauit:
Haud procul indè nouam latè qui tertius vrbem
Erexit, pulchróque ſuo de nomine dixit,
Hic Geneà Zanòs Graiò ſermone vocatus,
Quòd genus egregium protraxerat ab Ioue ſummo:
Quin & ab integro fundatam in monte columnam
Antiquam: ardet opus, flagratque argentea pubes.
Hinc procul innumeri diuino lumine, & oſtro
Inſignes, magni ſeruabant templa parentis.
Ipſe per infidos ſuperis dilecte ſacerdos
Plurima ductabas Romanorum agmina campos
Aegyptum penetrans; vexatur barbarus hoſtis;
Et patriæ victor referebas inde triumphos:
Teque adeò verum ſupremi numinis inſtar,
Atque humanarum rerum ſuprema poteſtas,
Te rex cum patribus coràm Germanus adorat,
Te prædiues opum, ac bello clariſſima tellus,
Te patriæ ſummum gaudens Martine parentem
Roma vocat, rerum pars optima, maxima Roma:
Ipſa deæ ſacrum ſimilis pax aurea vultum
Per mare, per terras, per cœlum auguſta volabat:
Aurea quam ſequitur magni concordia templi.
Hinc rerum illuſtres domini, ſanctique ſenatus
Auſoniam frenant patres, populosque feroces.
Illum indignantem aſpiceres, pariterque minantem
Quòd patrijs magni fugiens ſæua arma Tonantis,
Sedibus expulſum longè ſe cerneret, atq;

Triſtia demiſſum lachrymantis lumina vultus,
Pectora tundentem, gemitumq; ex corde trahentem,
Seq; accuſantem coràm, veniamq; petentem,
Quòd temerans rapuit ſcelerata in vincla ſacrorum
Omnia cuſtodit qui iura; & praeſidet orbi
Romano, haud veritus magnorum numina Diuûm.
Mox alter Stephanus magno decoratus honore
Iura dabat populis, ſolioque inſederat alto
Poſt haec praecipiti curſu voluentibus annis
Eximij patres, ſaeui duo fulmina Martis,
Fabritiusque ardens, & vero nomine Proſper,
Dexteritate manus praeſtans, & fortibus auſis
Fabritius, belli diuina maximus arte
Proſper, ab Italia Gallorum ſigna fugabant:
Iamque iterum ſacras crudeli funere Cannas
Cernere erat: medioque furens in ſanguine Mauors
Ferreus ardebat: trahit hos Bellona cruenta
Lora tenens: contraque altè ruit ardua Pallas
AEgida ſanguineam quatiens; haſtamq; rigentem,
Auſonijsque animos dabat in certamina ſaeuos
Omnibus ad pugnam ſe ipſos hortantibus vltrò:
Exin in Latio pandentem brachia Lyrim,
Torquentemque ſinus tacitè labentibus vndis
Apenninigenam rapido iam gurgitis alueo
Corripuiſſe cito properantes agmine Gallos.
Caſtra locabantur: miles complebat vtrinque
Littora, & arma Iouis tormenta imitantia bombis
Crebra tonant, glandesque fluunt, caelumq; remugit.
Ille autem vt dominum nouit, ſpumantia flexit

K 2

Flumina, monſtrauitq́; aditus, pontemq́ue recepit.
Effugiunt hoſtes: & paſſim cæde replentur
Omnia: vix tantæ cladis iam nuntius extat.
Præterea Proſper magna comitante Minerua
Arduus Inſubrum populantes pinguia culta
Italiam extra omnem pauidos arcebat eoſdem:
Alta quoque & vaſti ſuperabat ſaxa Timaui.
Proximus hunc ſequitur pariter virtute, vel armis
Egregius, ſi ductandas acceperit vnquam
Filius ornatas acies: populósque gubernat
Conſilio præſtans, rectique incenſus amore.
At patris immenſa laude inflammatus obibat
Nec non ingratum meritò indignatus Iberum
Aggere ab Alpino aduerſis ANTONIVS *armis;*
Inſubrumque vrgens antiquam obſederat vrbem:
Heſperiamque fremens bello tremefecerat omnem
Inuictoque animo, pulchroque interritus ore
Vim latè ardentem, & præſtanti corpore pollens
Ingenteis humeros, vaſtosque oſtenderat artus,
Imperium Oceano, famam æquaturus olympo,
Aſpera ſi rumpat, melioráue fata ſequatur.
O lux Italiæ, ſpes ò fidiſſima Romæ
Quò miſerande ruis? quò te fortuna ſubegit?
Heu quantum Auſoniæ crudeli funere luctum,
Quàm multos patriæ gemitus, cladémque ciebit
Quàm latè inſignem? ſuperis Romana propago
Viſa potens nimium, ſtaret ſi hæc ipſa Columna,
Sed ceſſiſſe Deo ſatius, patruoque nepotem.
Nec procul ardebat medio admirandus in hoſte

MVTIVS, vt ſtridens picea inter nubila fulmen
Agmen agens ferro obſeſſos penetrauerat Vmbros,
Et victor patriam pulſos reuocabat amicos
Tu quoque maiorum priſcos aucturus honores
Italiæ iubar, & magnæ ſpes altera Romæ
Eximia virtute ducis, ni fata recuſent
Inuida: ſed iam mæſta caput circumuolat vmbra
Nec tamen illuſtrem fama, factisque ſuperbum
Deficiet cuncta æternum per ſecula nomen
Quin etiam ſummo magnarum cardine rerum
Cæſaris antiquum imperium, & meliora tuetur
Iura Deûm Latiæ POMPEIVS gloria gentis
Inſignemque toga meritus iam ſæpe triumphum
Non ſecus ac duris victor quàm maximus armis.
Hinc procerum longè princeps à Rege poteſtas
ASCANIVS, latè parent cui regia ſigna
Inter pugnanteis acies crebrò emicat ardens:
Multaque conſpicuis gerit exornanda trophæis.
Inque & deliciæ Italiæ, & ſpes vnica Romæ,
Præſidiumque vnum Herculeæ, columenq; columnæ,
Indole præclara excellens ANTONIVS alter:
Qui puer Hetruſcis arcebat finibus hoſtem,
Confertam irrumpens aciem: mox Hernica ſaxa
Tutatur; Latium recipit: Dehinc impete facto
Milite non multo certans dare terga ſubegit
Aduerſas equitum turmas, peditumq; cateruas,
Poſt hac factorum maiora exempla daturus.
Tum verò ingenij præſtans virtutibus, atque
Moribus egregijs caſtum venerata cubile

Cuncta pudicitiæ præ ſe ornamenta ferebat.
Æternum Auſoniæ fulgens VICTORIA *lumen.*
Hanc fratris natæ miratum laude ſequuntur.
Illa, illa inſigni pollens Hieronyma forma,
Non animi virtute minor, clariſſima matris
Gloria; qua nihil in terris diuinius vnquam.
Salue præcipuum patriæ decus addite, ſalue.
Auſoniæ columen, non falſa ex Hercule proles.
Fecerat Ignipotens: necnon oſtenderat heros
Omnia: gaudet auus fama, fatisque nepotum.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI

AD PAVLVM IOVIVM HISTORIARVM ſcriptorem luculentiſſimum.

HISTORIA.

Aonides Nymphæ læti maiora petamus:
Cœpimus ingenti præconis voce per ora
Ire virûm inſignes: quo non præſtantior alter
Facta referre ducum, ſcriptiſque extendere famam.
Maximus hic tanti nobis ſit carminis author:
Quæ canimus meritò poſſint laudare nepotes.
Eſt inter ſuperos facie pulcherrima Diua,
Quam dixere animam: cunctarum ſemina rerum
Fundit, & informem diuino lumine molem
Perficit, ac totum naturæ temperat orbem
Mirifico ſummi ſtudio inflammata parentis.
Cùm pater omnipotens pulchro ſociaſſet amori
Connubio iunctam ſtabili, propriamque dicaſſet,
Splendidaque in medio gaudens conuiuia cœlo
Inſtrueret, nitidas menſas, & dona pararet:
Illi cæruleam ſignis, auroque rigentem
Induerat Pallam, magnum, & mirabile ſanè
Mentis opus doctæ diuina Palladis arte.
Hîc varias formas, hîc & primordia rerum
Fecerat; & proprio libratam pondere terram.

Cardine conſtantem medio: quam flumine magno
Abluat oceanus pater: vt circunfluat aura
Spiritus omniuaga: liquidis vt maximus æther
Ignibus ardeſcat: quàm latè claudat olympus
Omnia: lucenteisque globos, & ſidera cœli,
Arcturum, ſæuisque ardoribus Oriona
Addiderat, pluuiasque hyadas, geminosq; triones
Vndiſono tantum veritos ſe tingere ponto:
Hic & ſigniferum ſtellis, gemmisque decoris
Inſignem, teneros quo circunducitur artus:
Multiplices lunæ ambages: ſolisque labores.
Ibat lætus Amor redimitus tempora myrtho,
Et pulchros oculis ridens afflabat honores,
Diuinisque ardens vrebat pectora flammis.
Hunc ſequitur genus Vraniæ, mollique fluenteis
Fronde comas ornans, etiamque etiamque vocari
Gaudet, & appoſitè increpitat ludens Hymenæus.
Omnia purpureis implebant floribus Horæ
Auricomæ; & nitidæ ſpargebant balſama Nymphæ.
Dique, Deæque omnes, pulchra cum Cypride Bacchus
Lætitiæ dator, atque ſecundo numine Iuno,
Conueniunt: poſitoque ſuper diſcumbitur auro.
Ipſe penum ſtruere, & lætos ornare penates
Diues opum, & latè magno Porus vbere rerum.
Ambroſias epulas, & dulcia pocula nectar
Dant blanda charites ſimul, & Vulcania pubes,
Sedulaque Eurinome centum comitata miniſtris.
Poſtquam exempta fames dapibus, menſæque remotæ,
Fit cœlo ſtrepitus læta plaudente chorea:

Iucundam tenui meditantur arundine muſam:
Innumerumque ciet pulchros Venus aurea geſtus.
Perſonat aurata cythara formoſus Apollo:
Ad cytharamque Deum diuino carmine laudes
Pierides dicunt: reſonat iam plauſibus æther.
Vt chaos antiquum rerum indigeſta, canebant,
Semina diſtribuit, natura vt quæque tuliſſet:
Heſperus vt totum fulgens patefecit olympum.
Vnde vada oceani, & terræ omniparentis origo:
Conſilioque valens, quo non perfectius vllum
Atque Deos longè antè alios antiquior omneis
Omnipotens vt Amor ſumma ratione creauit
Omnia, digeſſitque ſuo quæque ordine certo.
Aureaque primo Saturno, incultaque rege
Secula, deinde Iouis magni ornatiſſima regna.
Quin & felicem ſobolem, ſedesque beatas,
Armaque Niſigenæ, victor quibus ille furenteis
Centauros domuit, terræque immania monſtra
Aggreſſa immenſum manibus reſcindere cælum:
Quæ tamen horrifico ceciderunt fulmine pulſa
Progeniemque virûm perituro corpore natam.
Ingeminat ſuperis plauſum chorus ipſe ſororum:
Magnaque diuinam pertentant gaudia mentem.
At verò, vt latè patrium teſtetur amorem,
Munera quæ tandem ducat potiora, petenti
Pollicitus nuptæ, inferni per flumina fratris
Per Stygiosque lacus genitor claro annuit ore:
Ambroſiasque comas diuino è vertice fudit,
Et totum capitis nutu concuſſit olympum.

Illa refert grates tam magno munere læta;
Virgineasque genas roſeo perfuſa rubore
Mox petit æternum, miſeris mortalibus æuum
Quod dederat, ſiqua voluiſſent numina Diuûm,
Eſſe olim. fert illa homines, vitasque volantum,
Fert pecudes, quodcunq; viget, quodcunq; mouetur
Exortu tenueis viuendi arceſſit in auras:
Aëra per magnum, terrasque infuſa per omneis
Perque maris tractus toto ſe corpore miſcet.
Tum pater omnipotens, quæ præter fata rogaſti
Dona, inquit, præterque humani ſemina partus?
Ne tamen addubites: non me ſententia vertit.
Nutu ſumma fides, atque irreuocabile verbum.
Sunt mihi natarum ſoboles pulcherrima Muſæ
Omnino quot cælo orbes: quæ cuncta tulere
Ornamenta animi, & præclaræ lumina vitæ,
Egregiasque arteis, & diuûm, carmina, laudes.
Hæc tibi præſtiterint illæ clariſſima dona;
Quæ genus humanum tollant ad templa Deorum.
Antè alias Clio forma preſtantior omneis,
Quam ſequitur fulgens clara inter ſidera fama,
Iam tibi res geſtas, moresque, & tempora narret,
Cunctaque perpertuum inueniat per ſecula nomen;
Ducere quo ſaltem mortalia pectora vitam
AEternam valeant nulla formidine mortis.
Ergo illa in cauſa eſt, veterum quòd maxima facta,
Virtutesque animi latè ſimulachra videmus.
Illa tibi narranda ſuo quæque ordine dictat:
Qua duce magnorum ſcribendis nomina rebus

Clara virûm illuſtras, & præcepta optima condis
Docte Ioui: vt longa nequeat clareſcere laude
Quem tua nequaquam commendent ſcripta futuris.
Felix quem tua laudandum præconia ſumant:
Ille vel extremos vltra Garamantas, & Indos
Inclytus, & mira notus ſuper æthera fama:
Nec Stygios metuet fluctus Acherontis auari.

ANTONII SEBASTIANI

MINTVRNI

AD ILLVSTRISSIMVM SICILIAE

Proregem Hectorem Pignatellum.

ITALIA.

NOx erat, & Stygio repetebat littora curru
Heſperiæ: ac nitida perfuſus Lucifer vnda
Oceani, toto pellebat ſidera cælo:
Ipſa quoque infandi præclara Lycaonis arctos,
Quam Iuno ægra dolens vnam magis omnibus odit
Ignibus aſtrorum, celſo de vertice olympi
Lumina torquebat: nec non mea ſomnus habebat
Pectora tot curis agitata, quod aſpera bella
Iampridem, triſtiſque fames, atque improba peſtis
Auſoniam opprimerent, & turpia ſæpe cierent
Funera: cùm viſa eſt facies venerata parentis
Italiæ præferre modis pallentia miris
Ora mihi, & largos oculis effundere fletus
Sciſſa comas, atroque gerens fœdiſſima tabo
Vulnera: quæ lacero fluitabant corpore toto.
Hei mihi quàm turpis, quantùm mutatur ab illa
Italia rerum domina, ſuperiſque verenda,
Orbe triumphato populis quæ iura dediſſet
Auguſta imperijs: ſed adhuc tamen acribus ardens
Luminibus, priſcæ virtutis ſigna ferebat
Parua quidem, at magnis (tanta eſt reuerentia factis,

Tanta vetuſtati) pleriſque apprima tremenda
Regibus. inſtabant natorum plurima turba.
Impia, quos illi regit ægrè ſpiritus artus,
Vellere, barbaricam vt prædam, nec ſegnius, atque
Progeniem Cadmi; ſurgentem in cornua ceruum.
Quem dea venantem temerè indignata Diana,
Nec verò humana metuentem luce tueri
Virgineos artus perfuſam flumine Diuam,
Fecerat; heu nequicquam ad dicendum ora mouētem,
Multaque clamantem laniat crudeliter omnem
Dira canum rabies, & odoriſequi comitatus;
Nec piget immitem expleri ſe ſanguine herili.
Agnoui miſeram: ac ſubitus tremefacta reliquit
Oſſa calor: dehinc paulatim ſumpſiſſe videbar
Ipſe animum, atque vltrò mœſtas expromere voces.
O decus Europæ, terrarum o ſumma poteſtas
Alma parens, quæ tantorum tibi cauſa malorum?
Quò te fata deûm? quò te tua maxima virtus?
Non'ne ea tu, ſummos quæ toto ex orbe triumphos
Duxiſti? Hîc fixos oculos immobilis hærens
Illa tenere ſolo: ac lachrymans ea denique fari.
Non equidem illa inter clariſſima ſidera fulget:
Quæ certè vt terras virtute ſubegerat omneis,
Sic me, quam cernis, nulla eſt tam barbara tellus,
Quæ miſeram non inſanis vexauerit armis.
Alpibus Auſoniam natura, vt mœnibus altis,
Munierat, foſſasque altè maris æquora circùm
Addiderat; verùm inuictas ſuperauit & Alpeis,
Nereaque ingentem duri ius effera belli.

Quid memorem? vt ſæuis Aquilonibus orta procella
Irruerit, priſcas que furens deleuerit vrbeis,
Antiquam cladem, victosque vltura parenteis?
An verò vt magno effudit ſe ſe vndique ponto
Eluuies, latosque patens vaſtauerit agros?
Ipſa antiqua, potens, terrisque ex omnibus vna
AEmula, deletas magnę Carthaginis arces
Vlta, per immenſum quoties mare claſſibus oras
Compleuit noſtras, ferroque euertit, & igni?
Italiæ verò quondam florentis imago
Aſpice quàm latè ſummo nitet aurea cœlo.
Cernis, vt Hetruſcis viguiſſet regibus ingens:
Exin, cùm varijs habitari eſt cœpta colonis,
Quot bella exarſere virûm, quàm perdita viſa eſt
Res Itala, AEneadæ magni dum noſtra tenerent
Littora. longum opus, & ſeries numeroſa referre
Omnia, ſi à prima repetantur origine rerum.
Cùm ſe ſe in Latio efferret Romana propago
Magnorum imperio regum voluentibus annis,
Illa iterum pulchra cœpit florere iuuenta,
Cernis, vt inſanos perpeſſa eſt inde labores,
Vires dum ipſa ſuas legeret, quò fortior eſſet
(Nulla adeò vis eſt, multos quæ fuſa per artus
Polleret) capitique velit membra omnia ſummo
Cætera parere: ingenti ſtudio illa repugnent;
Publica conſulibus cùm res prouecta vigeret?
Cernis vt egregium tandem quaſi corpus adulta
Efficiat ſe vnum? cuius caput inclyta Roma:
Terga, iugis ſuperant penitus qui nubila, montes:

Brachia tolluntur cœlo, quà maximus amnis
Labitur Eridanus pater, & quà flumine magno
Arnus, & Auſoniam Varus quà ſeparat ingens:
Quod ſupra ẽ mare, quodq; infra, latera ardua cingũt
Pectora, quà Volſci coluerunt, Martia proles,
Aruntique patres olim, pars maxima rerum,
Et quà diues arat lætos Campania campos,
Quà tetricæ horrentes rupes, priſciq; quirites,
Quà genus acre virûm Marſi, primoque Sabina
Progenies belli ſtudijs aſperrima ab ortu:
Queis porrò innixa eſt pedibus, quæ Græcia magna
Dicta, virûm monitis iam quondã inſignis, & armis.
Cernis vt immenſum tantis iam viribus aucta
Proferat imperium, quàm magnos vicerit hoſtes,
Quàm longè extremas ferro penetrauerit oras?
Vis, vt Romanis terrarum legibus omnem
Orbem Magnanimus Princeps ſubiecerit vnus,
Cernere, & Auguſtam rebus, cœloq; dicatam
Italiam virtute grauem, belloque potentem?
Hæc illi facies quondam pulcherrima; terris
Cùm latè imperium, famamq; æquaſſet olympo.
Quæ noua dehinc rerum ſpecies? quæ tempora iniqua?
Qui mores? quæ monſtra virûm, cùm pulſa receſſit
Priſca animi probitas, & Virtus, maxima diuûm
Munera? tantorum mihi cauſa illa illa malorum.
Prima fuit, prima Italiæ infelicis origo.
Vrbs antiqua, olim Ionij tenuere coloni,
Limine in extremo, facilis quà ſe vnda recludit,
Europæ, quà aditum inuenit, cùm territa ab æſtro

Inachis Ægyptum fugeret Iunonis ob iram.
Hæc ſeſe miro ſtudio tum Cæſaris altè
Extulit, in partem imperij velut altera Roma
Excita, vt latè regeret orientis habenas.
Quis furor infelix, quæ tanta inſania Cæſar?
Heu ſcelus, heu crudele nefas, quæ dira cupido?
Scilicet vt poſita proprio de nomine Graia
Vrbe, tibi æternum inuenias per ſecula nomen,
Antiquum Latium, Saturniáque arua relinquis
Hoſtibus inſignem prædam, ſæuiſque Tyrannis,
Impie deſertor patriæ, deſertor & vrbis;
Auguſto augurio fuerat quæ condita Diuûm.
Non'ne vides quanti magnum ſic didere regnum
Referat? auguſtus princeps quod fecerat vnum,
Auguſtus Cæſar, quo non auguſtior alter.
Sed tamen aſpicias quantas dedit improba pœnas:
Quæ noſtro imperio multos dominata per annos,
Nomine & alterius magno, ſceptriſque ſuperba
En cecidit tandem manibus deleta profanis,
Sanctaque barbaricis temerauit iura deorum
Legibus infelix, iam olim parere ſubacta
Indigno, cui cana fides, rectique ſacrorum
Deſpecti ritus, deſpecta & numina vera.
Verùm ea ſors, quamuis ſolio cecidiſſet ab alto,
O mihi nunc ſtaret miſeræ, nec lapſa fuiſſet,
Inq; dies rueret magis: aut ſi fata dediſſent,
Pontifices omni terras ditione tenerent,
Cuncta regant, optata vocent in fœdera pacis;
Externumq; Italis morem teneamus in oris:

Sin

Sin minus, acceptum ſuperis cùm ſola tueri
Templa ſit, imperitare ſinant, quam fata iuberent;
Nec patrium Italiæ imperium tibi maxime Cæſar
Inuideant: non diuerſa è regione cierent
Pro Regno Auſonię dura in certamina reges;
Non miſeram bello eruerent, non læta quietis
Ocia turbarent toties crudelibus armis;
Nec mea me ſoboles rèrum ſtudioſa nouarum
Diriperet laceram, penituſq; in viſcera ferrum
Stulta ageret, ſecum ipſe vltrò contendere nata,
Aſſidueque ſuas in ſe conuertere vires.
Quòd ſi fata velint ſanctis concordia vinclis
Auſonios animos pariter coniungeret omneis,
Libera lætetur ſeu res ornata decoris
Faſcibus; ingenti ſeu principe gaudeat vno;
En itèrum inſigni ſubiectos Marte videres
Extremos Libyæ fines, & Punica regna:
Te pater Armenijs deſcendens montibus ingens
Euphrates etiam ornaret Tyberine triumphis;
Et ſeptem magni trepidarent oſtia Nili:
Quin & Idumæas referat victoria palmas
Vlta patris ſummi templa, & temerata ſepulchra.
Sed quid ego infelix potui committere tantum?
Quid gentes potuerę meæ, miſerabile vulgus?
Quæ bello abſumptæ diuinæ munera pacis
Nequicquam expectant? ingenti vt mole malorum
Obruta deberem vim omnem ferre vna doloris.
Sunt diræ vltrices ſuperis autoribus: ipſæ
Iuſtitiæ memores, plectunt ſcelus omne nefandum;

Omne malum, cladémq; ferunt mortalibus ægris
Anguicomæ, tetris Alecto imbuta venenis,
Pallida monſtrificis antè omneis atra colubris
Tiſiphone, atq; odijs, flammiſq; armata Megera
Funereis, diro mentem quæ territat œſtro:
Quas patri inferno genuit ſæuiſſima coniux
Perſephone, inſtituit Nemeſis ſanctiſſima virgo.
Si quando ex hominum ſcelerato ſanguine pœnas
Iuppiter omnipotens ſumat, ſolet vna ſororum
Ad ſuperas auras imo ex Acheronte cieri:
Ne ſimul emiſſæ mirando turbine rerum
Cuncta ferãt rapidæ, et verrant per inane profundum,
Illa vel afflatu vitæ corruperit auram,
Vipeream inſpirans animam, ſtragemq; datura
Horrendum ſtridens bacchetur ſæua per vrbeis,
Ægraque Gorgoneum fundens per corpora virus
Luctifico ſternat lethum: vel triſtia bella
Excitet, incendens ſubter præcordia flammas,
Cùm Dea cæruleis horrentes crinibus angueis
Conijciat furibunda, quibus furor improbus ardens
Arma amens vocet, & totum permiſceat orbem:
Vel face terrifica medijs incendia campis
Inferat, aut vulgò ſterileis effecerit agros,
Et turpi inficiat ſegetes, & pabula tabo:
Vt cùm dira lues pecudes abſumpſerit omneis,
Et ferruginea cunctas rubigine fruges
Ederit, optatis ſit dura in rebus egeſtas.
Me tamen immitis quæ non perturbat Erinnys?
Heu dolor, antiquas quæ non abſumit & vrbeis

Pernicies, latè magnos populatur & agros?
Dum coniuratos Reges in prælia Gallus
Armat, & imperium conatur ſcindere magnum:
Magnanimus contrà Cæſar defendere & armis:
Et multas acies extremis mittit ab oris.
Ardet & excita Europa, & tota vndiq; in vnam
Irruit Italiam. en Alpeis immittit apertas
Gallica vis ardens, penitusq; ex orbe Britannos
Diuiſos trahit. Herculeus ſe fundit Hiberus
Littore in Hetruſco: ſuperat quoq; Norica ſaxa
Teutonicus furor, atq; vrbeis incendit, & arua.
Tu quoque tu Venete, heu, miſeram vexare parentem
Haud quaquam abſiſtis, complere & claſſibus æquor;
Maxima qui Regum deberes pectora pace
Conciliare bona, dulcemque optare quietem.
Ne mea progenies, ne tot molire labores:
Proijce tela prior noſtræ lux optima gentis.
Heu furit heu triſti gaudens Diſcordia bello,
Accenditque animos, ardenteisq; aggerat iras;
Et cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello
Armipotens, tonitruſque cauo ciet ære coruſcos,
Saxaque, & horrificas piceo cum turbine flammas
Aëra per liquidum torquet: terraq;, mariq;
Certatur, medioq; furens in ſanguine Mauors
Sæuit: cæde noua Neptunia regna rubeſcunt:
Perluit & latè fuſus, miſerabile viſu,
Arua cruor. dehinc tartareis emiſſa tenebris
It furiata caput diris ardoribus, atq;
Lora cruenta ferens Stygio volat impia curru

Peſtis, agens morbos: ſequitur mirabile mõſtrum
Terrificis ſtridens pennis, & funere gaudens
Lætum: nuda iacent deſertis corpora campis:
Auditur gemitusq; virûm, queſtusque parentum
Flebilis: & cunctus reſonat plangoribus æther.
Præterea exhauſtis opibus cùm dulcia dona
Terra parens ſtudijs hominum irritata negarit,
Arboribusque, ſatisque lues teterrima egenis
Optatum abſtulerit victum, pecudesque necarit,
Ne quid deeſſe mali potuiſſet; turpis egeſtas
Terribili ſquallore horrens, incultaque toto
Corpore (vix illi tenuis calor oſſibus hæret)
Triſtibus infelix ſtimulis agitatur edendi
Per medias Lymphata vrbeis, populosque feroces:
Quam ventris rabie, diroque excita flagello
En male ſuada Fames, & non explebilis vnquam
Inſequitur, furiale malum: quæ dentibus ambas
Dilaniatą manus, laceros populatur & artus.
Heu quàm ſæpe patrem natis, natosque parenti
Se ſe, pro pietas, offerre ſubegit edendos,
Occidere & miſeros natos ante ora parentum
Extrema Cererem nequicquam voce petentes.
Hinc iacet Inſubrum columen, mea magna poteſtas
Tot bellis, tot victa malis: iacet inclyta Roma
Roma caput ſummum: capitis collapſa ruina
Membra labant reliqua. Vna mihi iam ſola relicta
Pars erat illuſtris Campanæ gloria terræ
Parthenope. illa vides quanta obſidione prematur:
Quam fœda interius turbentur mœnia clade.

Tecta ruunt ſpoliata viris, ſpoliata potentum
Antiquis opibus: & relligioſa profanis
Templa deûm manibus temerantur: & omnia latè
Ferrea vis Martis, Vulcaniq́ue igneus ardor
Delet; præſidijsq́ue ſuis euertitur ipſa
Infelix: quæ nec duro pateretur ab hoſte
Talia, ſi ferro victor penetraſſet in vrbem.
Dixerat: & crebris manans mihi fletibus ora
Soluerat in triſteis lachrymas; ac multa volebat
Dicere: cùm non inde procul, qua fluctibus ora
Ionijs Itala abluitur, venerata refulſit
Sicania: Auguſtoq́ue habitu, ſpecieq́ue decora,
Cui latè egregium pulchro decus enitet ore,
Ad ſe purpureo ſtupefactum lumine vertit.
Stabat pro templo, ſolioq́uo inſederat alto
Sceptra tenens, magnaq́ue uirûm ſtipante cohorte,
Turrita & ſcopulis triquetris, redimitaq́ue vittis
Imperio gaudens lætos afflabat honores.
Qualis vbi Inachijs lætam ſe rettulit Argis
Omnipotens Regina Deûm Saturnia Iuno,
Inuiſitq́ue altam magnæ Carthaginis arcem,
Inſtauratq; ſacros ritus: altaria circum
Diuinum Tyrij patres imponere honorem
Inſtant: Ipſa choris ſupereminet aurea gaudens,
Aut ſuperas cælum repetit ſubuecta per auras:
Extemplò hinc, atq: hinc læti glomerantur: & omnes
Cælicolæ mediam referunt ad tecta: parenti
Quæ Deus Ignipotens miranda fecerat arte:
Excipiunt Diuę, nitidaq́ue in ſede reponunt:

Illa ſedens altè regali ſplendida peplo
Ambroſium ſpirat roſeo de vertice odorem:
Talis erat; ſic tum felix regina ſedebat.
Tum verò ignarum, ac tanta quæ luce niteret,
Mirantem, ſpecies, pariterque rogare volentem,
Cùm me magna parens nouit, ſol aureus, inquit,
Vt triſtem exoriens noctem depellit olympo,
Quas mea prætulerat facies miſeranda, tenebras
Sic fugat auguſto, quam ſpectas, regia forma
Lumine, componitque animum, mentemq; reducit.
Illa armis, illa ingenijs, illa vbere glebæ
Terra antiqua potens, Siculi de nomine Regis,
Trinacriam quondam, magnum quòd vertice ſurgens
Tergemino tangat cœlum, dixere priores,
Illa mei pars magna fuit: nunc altera tellus
Faucibus abrupta anguſtis: cùm pontus ab imis
Sedibus excitus medio latera abſcidit æſtu.
Hæc loca principio vaſti coluere Cyclopes,
AEtnæi Cyclopes, & ignipotentis alumni,
AEolidum imperio felix regnata per æuum:
Exin horrendis nec tam crudeliter vlla
Terra vnquam, nec tam multis oppreſſa Tyrannis.
Aſt iterum coniuncta mihi victricibus armis
Romulidum, lætata diu, nulla horrida bella
Senſit: barbarico quæ dehinc vexata furore
Sæpius ingemuit. ſed poſtquam inſignia gaudens
Sceptra manu tenuit, functa eſt melioribus annis:
Nec tamen omninò felix: nam turbine rerum,
Multa quoque, & procerum ſtudio tulit illa malorũ

Nunc vna antè alias terras felicior omneis:
Cùm mea progenies decus immortale parentis,
Et lux Parthenopes, & ſpes fidiſſima Regis
Hector magnanimus, quo non præſtantior alter
Nec regere effrenes, nec debellare ſuperbos,
Cæſaris imperio cui demandata poteſtas
Regia, diuina populos ratione gubernet.
Vt cùm tota fremat bello, multumque loboris
Perferat Europa, optata nunc pace fruatur
Hæc ſola, & frugum oſtentans, & munera Bacchi
Nec diuûm infenſam, nec vim Iunonis iniquæ
Sentiat: abducta lacera, nitet aurea, palla.
O mea ſi Cæſar voluiſſet maximus arua
Imperijs hic ipſe ſuis tueretur, & vrbeis:
Aut ſi Dîs placitum tutos regat ille Sicanos
(Non equidem inuideo, quamuis mihi debita poſcam
Imperia) at certè ſimilem Campana tuliſſet
Terra virum, regeret miſeræ qui regna parentis:
Non dira illuuie, & macie confecta ſuprema,
Tanto cùm gemitu, & tam flebilibus lamentis
Hæc ego iactarem: qui me repararet, haberem.
Sed tamen inde ſalus patriæ, inde & regia cauſa
Pendet, & inuictæ felix victoria gentis.
Aſpicias ope quàm magna intra mœnia clauſos
Suſtineat: quanta Siculis mihi mittat ab oris
Natum acie inſtructum: Calabros qui fortibus auſis
Accelerans recipit magni ſpes altera Regis.
Sic ait: & volitans effugit plura paratum
Audire: humentem Phœbus dimouerat vmbram.

EPIGRAMMATA
ET ELEGIAE.

AD PLVTARCHVM.

Conſpicuum Plutarche tibi poſuere, Camænis
Gratum opus, Auſonidæ magnanimi ſtatuã:
Quòd pariter Graijs noſti conferre Latinos:
Vt quæq; aſpicerent orbe redire ſuo.
Verùm nulla tuæ ſimilẽ quàm ſcribere vitæ
Poſſes, vita fuit: quis tibi nam ſimilis?

DE AELIO

Palladis Auſoniæ cùm iam decus omne clueret,
AElius inſignis munere militiæ,
Extremo affectus morbo, ne gloria morbo
Vlla foret, ſe ſe vulnere diripuit:
Atque, ſui haudquaquam oblitus, ſic denique dixit.
Marte viri, morbo turba miſella cadunt.

DE VIRO LACEDAEMONIO

Transgreſſum leges Demetri ſæua cecidit
Te Lacedæmonium dura Lacæna parens.
Ne ſibi, ne Spartæ ſis dedecus, accipiantque
Haudquaquam eſſe mori, ſed fugere, interitum.
Illa tenens ferrum patrio de more fremebat,
Ferro ignauorum tollitur omne nafas:

I caput ignauum pereas, i peſſime ad orcum;
Nec me, nec patria dignus es ipſe mea.

DE HECTORE, ET AIACE.

Priamides ferro Aiacem donauerat, Aiax
Loro Priamiden; triſtis vtrinque obitus.
Ferro Aiax cecidit, raptarunt Hectora loro:
An poterant hoſtis dona carere malis?

AD PRINCIPEM SALERNITANVM.

Cùm te quiſque ſuo donarent optime princeps
Munere di magni, Iuno potens opibus,
Mars animo, Phœbus muſa, Venus aurea forma,
Mente Minerua, genus μαιάδος ingenio,
Iuppiter at noſtri ſit & ipſe ſimillimus inquit;
Parthenopeque ſuo gaudeat alma Ioue.

DE EODEM.

Cùm viſa eſt ſimilis pulchrarum Iſabella dearum,
Optaruntque dei quiſque ſibi thalamos,
Iuppiter at fatis concedite, noſter alumnus
Ferrandus princeps principe dignus ait,
Per ſtygioſque ſacri torrenteis annuit orci.
At vos iam magni pergite fata Iouis.

DE PROSPERO COLVMNA.

Italia heu luget natum ſimul, atque parentem
Te Proſper noſtri maxima proſperitas:
Te verò Antoni carum miſeratur alumnum.
Ah quo'nam infelix te tua fata trahunt?

DE PROSPERO COLVMNA.

Pone hoc in paruo magni ducis oſſa ſepulchro,
Gallorumque fugas, Italiæque decus.
Ipſe autem ad ſuperos redij cælo editus heros,
Diuinumque bonæ Palladis ingenium,
Proſper ego inuictus, veroque & nomine proſper:
Proſpera vita fuit, proſper & interitus.

IN EIVSDEM TVMVLVM.

Italia pepuli fatalis dux ego Gallos
Proſper, & inuictus, contegor hoc tumulo.

AD ALFONSVM DAVALVM.

Dauale non temere eſt Gallis apprima ſuperbis
Cum tot, te paucis conſeruiſſe manum.
Nam quod Alexandri fuerat, quod Cæſaris, id tuum
Innumeros parua eſt exuperare acie.
Noras ipſe hoſtem, vt regeret ferus omnia Mauors
Inde, & ſæua tenens lora cruenta dea,
Hinc verò Pallas, nec non Victoria princeps
Vt tecumque foris, peruigiletque domi.

DE VENERE ARMATA.

Armatam Venerem aſpiceret cùm cæſia Pallas,
Vis Cypri iudicium ſic ſubeamus? ait.
Quæ tenerùm ridens, clypeos attollere contra,
Audes, ſi vici nuda, quid arma ferens?

AD ANDREAM MATHAEVM
Aquiuiuum Adrianorum Ducem.

Oceanus rerum pater eſt, & ſidera circùm
Orbis aquæ magnus, ſtyxque verenda Deis.
Tu Ioue progenitus ſummo, tu viuus aquæ fons,
Ne ſophiæ deſit, profluis ingenio.

AD ANYSIVM

Quis'nam caſta fauens deorum Anyſi
Mouit pectora? quis rotundo in ore
Sedit, cùm Veneris lyram ad canoram
Dixiſti appoſitè vtriuſque laudes?
Quid ni ipſæ Veneres, Cupidinesque,
Luſusque, & Charites, quibus ſecundis
Omni ex parte fluunt, nitentque verſus?
Vt ſit quo merito illa tam diſerta
Nobis Græcia poſſit inuidere.
Ergo cum lepida tua camœna
Mira quæ tua iam benignitas eſt
Subſcriptum venient meo libello
Iucundæ Charites, Venusque, Amorque.

AD EVNDEM.

Quàm rectè admonuiſti amicum Anyſi?
Vt ſpretis opibus, quot olim Apollo
Delphis, quotq́ue habuit Lybiſtos Ammon,
Spretoq́ue oppiparo Iouis cerebro,
Et læta AEthiopum vndecunque menſa,
Pluris verſiculum æſtimemus vnum.
Felix ô nimium, nimisq́ue felix,
Cui perfaciles fauent camœnæ.
Ille enim ille Gygæ, Policratisq́ue
Fortunam exuperare mi videtur,
Malis ſiue Midæ arcam, manusq́ue,
Siue Romulidum, Herculisq́ue honores.
Sint magno ex Ioue ſint διοτρεφεῖς
Reges, quid miſeri tamen, quid eſſent,
Ni eos dulciloquæ deæ fouerent?
Atque à dis etiam genus poëtis
Et Phœbus pater eſt, & altor ipſe.

AD EVNDEM.

Antiqua haudquaquam antiquanda vocabula Anyſi,
Et iuſſi, & iubeo, ni auribus officiant.
Dicta virûm memini, deleta, nouata ſubinde:
Candida cur verba reſtituiſſe nefas?

DE PALLADE, ET VENERE.

Cum ſua iactaret numeroſa volumina Pallas,
Innumeris gaudens artibus ante Iouem,
Oſtentat contrà paruum Cytheræa libellum;
Quo faſſa eſt dici quidquid & ipſa poteſt.
Inde meum eſt, inquit, diuûmq; hominumque voluptas
Donum, vt naturæ perficiatur opus.
Tum pater acceptum referens, tibi, quanta Mineruæ
Multis, hoc vno gloria parta Venus.

DE ALFONSO DAVALO.

Dauale iam numeros tibi fama expleuerat omneis,
Ancipiti fatum lance trahente Ioue:
I morere Italiæ magnum decus, i pete cœlum,
Heroumque inter ſidera, Pallas ait.
Scilicet humanis cedendum, cùm optima vitæ
Lumina ſors tulerit: inuida namque dea eſt.

DE POLYPO, ET AQVILA.

Polypus arenti latè proiectus in alga
Phœbo ſiccandos fortè pedes dederat,
Concolor haudquaquam ſaxo: quem vidit vt alto
Ales de cœlo fulua Iouis, rapuit:
Crinibus incauta implicita eſt, ceciditque ſub vndas
Exuta infelix præda, animaque ſimul.

DE FORTVNA.

Tu quoque fortuna omnipotens, tu, quæ omnia verſas,
Ipſa tibi haud parcens vulnera paſſa tua es.
Magno pro templo cùm ſtares, denique turpem
Cauponam exerces, doctaque verba dare.
Ergo diſce pati quæ tu mortalibus ægris
Per varios caſus triſtia ferre ſoles.

DE CAROLO. V. IMPERATORE.

Cedite Romano externi, concedite reges
Tuque ò Galle bonis cede ſuperbe Deis.
Quis neget hunc ipſum Iouis omnipotẽtis alumnum,
Et meliora pia iura fouere manu?
Victis ſæpe tuis ducibus tu denique captus
Bella paras, nec te fœdera ſancta tenent?
Omnia, quid quæris? turbaras milite multo:
Sola repugnabat Regia Parthenope.
Res tamen oſtendit fatis, & numine Diuûm,
Non armis fretum vincere, non opibus.

AD LVCRETIAM SCALIONAM.

Inuidit fortuna meæ indelebile nomen
Parthenope, fauit maxima Roma tibi,
Ne qua præriperet, quæ nunc tibi ſola relicta eſt
Virtute abſumpta fama pudicitiæ;
Cùm tam ſancta iterum tecti penetralia Sextus
Scandere conatus concidit antè fores.

An non ipſa tua Lucretia clarior eſſet
Hæc noſtra, infelix ſi penetraſſet amans?
Sclicet haud vlla ex parte amiſiſſe pudorem,
Hic honor, hoc ſumma laude perenne decus.

AD EANDEM.

Hoc tibi deerat ad æternum Lucretia nomen,
Quò tuus ille pudor clarius eniteat:
Vt caſtum nequicquam auſus temerare cubile
A ſummo infelix culmine corruerit:
At verò nequaquam audacia tanta dolenda eſt:
Nam tibi pœnarum iam dedit inde ſatis:
Ille vel hoc vno felix, ſperare quod ipſe
Non prius, aut ſimul ac viuere deſierit.

DE EFFIGIE MEDEAE.

Mirum opus: vt varios potuit effingere ſenſus
Vna Timomachus Colchidos in tabula.
Hinc furor, hinc lachrymæ: pariter miſereſcit, & odit,
Dum neſcit pueros ſeruet, an interimat.
Denique nil deeſt. Sed natorum ſanguine debes
Tu Medea manus tingere, non opifex.

DE VENERE PRAXITELIS

Qui Gnidiam fecit Venerem, num viderat vnquam
In terris nudam Praxiteles Venerem?

An nitido in cœlo, clara inter ſidera olympi
Cùm à mortali animus corpore liber erat?
An dea mentem illi afflarit, ferrumq; manusq;
Rexerit, atque animam pulchro operi dederit,
Vt Venerem credas miſſam cœleſtibus oris
Piſcoſæ tumulos incoluiſſe Gnidi.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM M. ANTONIVM COLVMNAM.

Antoni proauis edite regulis
Antiqua ſerie quam fore Iuppiter
Iuſſit perpetuam te patre principum
Princeps principibus iam decus addite
Quandò fert animus dicere te meus
Quæ dicenda auido prima mihi omnium
Virtutum properans non venit obuiam?
Quid certè referam iuſtitię iubar,
Quæ iampridem atauis ſigna dedit tuis?
An vt cara fides emineat pium
Antiqui generis nomen, & inclutum
Iam debetur honos Herculeus tibi:
Vt qui præſidio ſis etiam omnibus.
Te morum grauitas optima Portijs
Præfert, ac pietas magna Potitijs.
Tu Lærtiade Palladi carior.
Quærenti tamen hinc principium mihi,
Non eſt Phœbus, ait, quid properas? tuum
Hunc laudare virum: quem chorus haud canat
Totus pegaſidum; ac ne ipſe quidem Deus.

DE

DE ANDONI ABAPRŌ INTEREMPTO

Adonin puerum puella Venus
Suas delicias, ſuumq; decus,
Amantemque vt amans ſuis miſera
Mirata eſt oculis, ſuis oculis,
Qui rerum exhilarare cuncta ſolent,
Extinctum egregiæ indolis faciem:
Totos in lacrhymas dolens ſoluit
Nitentes oculos: vtraque manu
Flauam ſciſſa comam genas roſeas
Ac pectus niueum petit: Cypriam
Se diuam haud meminit Iouis ſobolem.
Nequicquam Charites, Iocusq;, & Amor,
Ad quas triſtis Amor rapit, tepidas
Solantur lachrymas. at illa, dolor
Vt voces miſerabiles agere
Dedit, cæruleo ſinu puerum
Amplectens vocat ore Adonin hians:
Adonin nemus vndecunque refert:
Et cælum omne deæ dolore dolet.
Tum verò aſſiduè vocans miſera,
Præmensque oſcula dulcè pallidula,
Hic'ne, hic ille, ait, oris eximius
Honos purpurei, mea ambroſia,
Meum ſuauiolum, meusque lepos?
Hoc'ne, hoc Cæſarie illud auricomum
Decus, quam, his digitis ego, his toties

Depexi digitis, ſtudens nimium?
Vos ò vos agedum mei pueri
Hûc illud grauius malum, hûc trahite
Illud deducus omnium nemorum.
Tumque voce reſiſtit in media:
Sæuus plura dolor loqui haud voluit.
Illi, non mora, commodùm volucres
Totum ingens peragrant nemus: ſonitum
Pulchris ex humeris dedit pharetra.
Dolentem inueniunt ſuem: capiunt
Circùm: terque etiam, quaterque ligant:
Verbisque, & manibus mali exagitant.
Hic illum prior horrido laqueo
Inuitum rapit, ille lætifero
Vrget poſterior premens calamo.
Infelix tacitus, timensque it aper.
Formidabat enim Cypri dominam.
Moxque illum vt malè vidit Idalia,
Tunc, inquit, femur hoc mihi laceras
Omneis antè feras grauiſſima? tu
Dilectum hunc iuuenem mihi interimis,
Vitæ pernicies meæ immodica?
Illi innixa genu, timensque nimis,
Reſpondit fera. per tuum Cypria
Magnum numen, & hunc per egregium
Virum, per meaque hæc manus validæ
Sancta vincula, & hos per, hos volucres
Venantes, iterum, atque iuro iterum,
Formoſum hunc iuuenem, tuum haud volui

Meis diripere his cupidinibus
Verum dum ſpecimen nitens video
(Aeſtus impatiens tenella dabat
Nuda fœmina mollibus Zephyris)
Ingens me miſerum libido capit,
Mille ſuauia dulcia hinc capere,
Atque me impulit ignis indomitus.
Hos ergo capiens Venus domina,
Hos vlciſcere, demeque hos penitus
Dentes, heu nimia aſperos acie.
Nam quid mi ſuperant ſuperuacui?
Qui nunc ſi tibi non ſatisfuerint,
Abſcinde hæc mea labra tam cupida
Horum criminis hoc ſit indicium.
Quin & ſi mea vita nunc odio eſt,
En ſacram hanc animam dea accipias.
Heu quales potero miſerrimus heu
Ego annos agere hoc ſine, hoc iuuene:
Hæc cùm dicere viſus eſt, nimios
Infelix lachrimans dedit gemitus.
Tum verò miſeri miſerta Venus,
Suis iuſſit Amoribus, valida
Illa vt vincula ſoluerent ab apro.
Nouit quò furor improbus rapiat,
Dolens tam ſibi obeſſe vim propriam.
Profecturus aper deæ inſinuat,
Qualis vita ſibi futura foret
Extincto Cynireio puero.
Saxum ventre cauo arduum capite

Antrum immane facit: ſituque putri
Totum Cimmeriis nigret tenebris:
Circùm ſylua patet, ſtrepitque noto.
Hûc ille, haud ſolitum nemus petiit:
Ibique aſſiduè gemens miſerè
Tabeſcit: vitiſque cum propriis
Abſumpſit lachrimis calentem animam.
Iam verò pueri cruor roſeus
Flos eſt puniceus rubens lepidè:
Pulchra Citrius ipſe Cæſarie.
Sic enim dea iuſſit Idalia:
Vt qui iam fuerat nitens iuuenis
Idem ſit quoque flos; & arbor, amans
Suæ deliciæ, ſuúmque decus.

AD ANDREAM CARAFIVM Neapolitani Regni Proregem.

Princeps principibus nate ab origine,
Pro Rege Auſoniam qui regis optime
Andrea patriæ præſidium tuæ,
Reges progeniti ſunt Ioue maximo:
Et Muſis genus eſt à Ioue maximo.
Illi Pierio digna choro gerunt:
Muſæ, quæ memoret poſteritas, canunt:
Illorum populos eſt regere efferos:
Muſarum egregiè dicere quo regant:
Reges proſequitur Calliope optimos.
Longè Pieridum Calliope optima.

Felix, cui faciles Aonides fauent,
Illi dulce melos nectare dulcius
Fundunt, ſiue animos mitiget aſperos,
Si qua ſeditio ſæuiat improba;
Siue ad Martis opus pepulerit graue
Ardenteis, gelidus quos pauor occupat;
Siue alto è ſolio iura ferat bonus,
Illum ſuſpiciunt, atque Deum putant.
Ecquis Pegaſidum non choreas amet,
Lesboo feriant quæ æthera barbito?
Vos autem Aonides dicite candidum
Lumen iuſtitiæ, dicite & omnium
Virtutum ſpecimen, Neſtora nobilis
Magnum Parthenopes, quem bene comparem
Antiquis Fabijs, atque Catonibus,
Et veſtrum decus, & iam columen meum.
At Muſæ veniunt, quæ tua eburnea
Lætæ ſcreptra canant, atque polo dicent.
Quas ſi fronte hilari ſuſcipias libens,
Linquent vel patrium dulce ſolum nemus,
Linquent vel nitidas cœlicolûm domos.

DE PROSPERO COLVMNA.

Magnus ab ætherio Proſper demiſſus olympo,
Qui decus Italiæ, præſidiumque foret,
Vt ſua geſtarum perfecta eſt gloria rerum,
Felix ad ſuperos, conſpicuuſque redit:
Felix, æternùm gemina qui laude manebit,

Cum certè multis vna ſatis fuerit,
Aſpice quàm latè cœleſti lampade fulget,
Quantoq; in terris prҿſtat honore potens.
Te verò infelix carus, te liquit alumnus
Alma parens; te itidem magnus alumna pater.
Si pietas natam pertentat, amorque parentem,
Nominibus verò læta duobus eras,
Flebilis Italia indignos heu funde capillos,
Tuque inuiſa nimis maxima Roma deis.
Iampridem abſumpto pollentis flore iuuentҿ
Interitura, diu triſtis anus fueras:
Vt qui cum reliquo terrarum paruit orbe,
Pro pudor, inualidæ barbara iura daret;
At quamuis effœta, deûm quҿ gratia, tandem
Illuſtrem tuleras reſtituenda virum:
Quæ ſola afflictis fuerat ſpes optima rebus:
He heu non alter fidere cui valeant;
Fidere cui valeant tamen eſt ſpes altera, patrem
Qui validis referat viribus ingenij.
Iam longè Inſubrum Gallos deiecerat oris:
Ammiſſumque decus iam propè reddiderat:
Ac certè priſcos Latij reuocaſſet honores,
Si tibi nunc meritҿ fata ſecunda darent.
Viſa potens nimium ſuperis tua gloria Proſper,
Si rectè affectum perficeretur opus.
Quod ſupra eſt homines, omniq; ex parte beatum,
Maximus haud cuiquam Iuppiter annuerit.
Nam ſuus in factis modus eſt, ac denique fines
Victor habet certos, quos ſuperare nequit.

Sit ſatis heroa inſignem victricibus armis
Omnia facturum, ſors bona dum ſineret.
Non tua ſors hęc ad claros iam nate triumphos,
Verum, prò dolor, vt ſeruiat, Auſoniæ.
An non preſtiterit functo melioribus annis
Humanis tanto cedere cum imperio?
Nam tua, nam virtus, ſi te deſideret vnquam
Poſteritas, multo clarior eniteat.
Scipiades maior dictus, quòd fortibus auſis
Africa victa ſibi ceſſerit armipotens.
Qui verò noſtris cunctando reſtituit rem,
Maximus, excellens artibus egregijs.
At tua cùm facta antiſtent vel iudice Roma,
Quo dictus merito nomine Proſper eris?
Illa quidem armorum preſtanti robore pollens
Reſtitui paruo prę ſidio poterat.
Nunc autem gelida penitus collapſa ſenecta,
Quo, niſi Diuorum tollitur auxilio?
Nec modò cunctando vincis; ſed fortiter vrges,
Vique hoſtem cogis accelerare fugam.
Quodque tuum eſt, nunquam tibi non victoria parta,
Hoſtibus abſumptis, ſoſpitibusque tuis.
Sis felix ò magne parens, faueasque ſecundo,
Oramus miſeri, ſidere ſupplicibus.
Parcite vos lachrymis, & fuſos nectite crines,
Ne fletus domini laudibus officiant.
Quin & lætitię nobis ea gaudia dentur,
Queis ope diuina Palladis afficitur.
Nanque vel ipſa hoſti, ſperemus, condita ſacro

Oſſa viri tumulo ſola timenda fero
Atque palàm, Herculeę pręclara inſignia prolis
Horrens vt ſemper barbarus extimuit.

DE COMA MARIAE SANSEVERINIÆ *medicorum iuſſu receſa, cum illa grauiſſimè ægrotaret.*

Quis nouus hic dudum antiquis nitor additus aſtris?
Quo diuûm hęc rapta eſt numine cæſaries?
Auſonidum iubar, & longè pulcherrima proles
Diuino Mariæ nomine digna deę.
Illa & principibus felix ab origine princeps
Dis genita, & magnos progenitura deos,
Et forma ęgregia, & proprijs virtutibus omneis
Inclyta per terras conſpicienda nitet,
Principe læta viro: valet indelebile gentis
Qui decus Vrſinę candidus ingenio,
Cui prędiues agri pulchro vicina Veſeuo
Nola per antiquo ſubditur imperio.
Non ſic Oenidæ lætata eſt munere coniux,
Quem lachrymis patriæ non tetigere preces:
Non ſic Tyndaridæ miro Leucippis amore,
Non Iphiclea laodamia domo,
Non Ida vitreis Eueni fluctibus orta:
Non Phrygia gaudens Hippodamia face:
Nec tantùm Alceſtis Phæreo cara marito,
Cuius in hunc ſtudio victus vterque parens.
Illam viſuri qui non venere deorum?

Quis non ex certis aduena cardinibus?
Venit ab Iſmarys, thyaſo plaudente per arua,
Collibus, inflectens Iraphiota caput:
Omniuagusque puer, pulchra ludente chorea,
Idalium liquit fronde virente nemus.
Liquit acerſecomes lauro decoratus Apollo
Ortygiam, atq; antri ſaxa Lycore tui,
Vndipotens Helicona pater Neptunus, & AEgas:
Ttritonumque dedit buccina rauca ſonos,
Quin & ab ætherio magnus deſcendit olympo
Iuppiter: & diuûm turba ſecuta Iouem.
Ipſa autem miſit Taprobáne antícthonas orbis,
Túque ab Hyperboreis vltima verticibus.
Obſtupuere omnes admoto pollice dextræ
Oribus, auguſta vt viſa fuit ſpecies.
Pars Venerem dicunt cæleſti ſemine natam,
Pars Iunonem, alij Palladа magnanimam.
Sunt quos non ipſis pigeat præferre deabus,
Tanta illi & vultus ſunt, animique bona.
Quippe oculis ſolem referebat, & ore ſereno
Auroram, & flauis ſidera pura comis.
Iamque æther Mariam, Mariam omnis terra ſonabat,
Iam magnæ deerat nil, niſi templa, deæ.
Quamquam nec tanto ſe dignabatur honore,
Nec tanta diuûm laude ſuperbierat.
Ilicet inuidia flagrarunt corda dearum.
Inuidia infelix, vipereumque malum,
Te propter, ſcabra veluti rubigine ferrum,
Quæ mens affecta eſt inuida conficitur,

Te duce cuncta magis pereunt, quàm Marte ſuperb
Quod male ſana taces, perpetuumque furis.
Quî rerum Aeneadæ ceciderunt ſumma poteſtas?
Quî Macetum nomen? regia quî Babylon?
Quî quoque Perſarum quōdam vis maxima Regum?
Nulla eſt: quî virtus occidit Argolica?
Tu minimè iuſtus ſimul, & iuſtiſſimus vnus
Morborum, inde bonis inſtruis inſidias.
Et ſequeris quocunque illuſtris gloria ducat,
Vmbra velut quisquis lampade ſolis eat.
Quid referam? vt ſua Beliden clariſſima virtus
Te comite ad geminos duxerit interitus?
Vtque Neoclides patrijs procul actus ab aruis?
Vt ſophiæque parens atra venena bibit?
An verò vt magni in Pœnos ardentia Martis
Fulmina Scipiadæ ſuccubuere dolis?
Occidit vt primus Romanæ conditor arcis
Romulus? vt ſummi conditor imperij
Hinc verò ingenteis meritò das improba pœnas,
Ipſa tibi ſola es peſſima pernicies.
Haud ſecus ac temerè ferientis pectora, duro
Tela repercuſſa è marmore concutiunt:
Cùm nihil inuiſis noceas virtutibus horrens.
Sed tua nec bona te, nec mala viſa mouent.
Alterius verò pingui macreſcis in eruo:
Mox tamen arenti lætior efficeris.
Ecce ferus Stygio manans de gurgite morbus
Candida pallidulo membra fluore rapit.
Inde ereptus honor faciei, capitique decoro,

Quem mirata deûm eſt ſæpe, virûmque cohors.
Quid morbo obſtiterit? cedam cui fortia bello
Corpora, quæ ſæuæ non domuere manus.
Ille quoque hoc victus, qui vicerat omnia ferro,
AElius, Italicæ gloria militiæ.
At pereat, morbis quæ totum infecerit orbem
Principio, humanæ cauſa dolenda necis.
Ah male caute parens, quæ te tam dira cupido?
Siccine Pandoræ captus es illecebris?
At ſator omniparens cælum non aſpicit æquis
Hæc oculis: tantum viderat vnde malum.
Omnia nanque vides Cœlum pater, omnibus idem,
Cuſtodísque tuis omnia ſideribus,
Munde parens, rerum finis, rerum omnium origo,
Naturæque vices, quódque neceſſe, regis.
Cùm primùm nitido ceciderunt vertice crines,
Quos toties docta pexuit Hora manu:
Vin vnguentorum biberant qui millia multa,
Ne decus hoc pereat, ſic ait ipſe Deus:
Ex Ariadnæis variato in limite noſtro
Aurea temporibus fixa corona micat;
Ex Berenicæo pulchræ deuota Dioneæ
Vertice diuino munere Cæſaries.
Hic Neptune tuam qui vexerat Amphitriten:
* Hic medijs iuſta eſt lucida luminibus.
Quin etiam Andromedæ ſpectantur bracchia latè:
Et triquetræ facies littera Trinacriæ.
Denique quodcunq; eſt prudens venerata vetuſtas,
Ex alto fulgens æthere conſpicitur:

Et præclara mihi liceat quoque in aſtra referre
Flauentis Mariæ verticis exuuias.
Dixerat: actutum varijs Thaumantia proles
Multicolor pennis nuntia miſſa deûm,
Quæ flauos raperet crines, cœloque locaret
Vndique & æterno ſidere conſpicuos.
Proque his, & radijs diuinæ lucis, & auro,
Inſignem capiti poneret inde comam.
Oraque pallentis cæleſti afflaret honore:
Amiſſum ſpecimen pulchrius efficeret.
Vt ſit, quam magis admiremur, gratia formæ:
Ipſaque ſe carpat ſæuius Inuidia.
Haud mora dehinc ſtellis fulſit redimita corona,
Aſpice, contingens antè Coronæ feram
Huic, ſeu felici teda, & Iunone ſecunda,
Iuncta viro caſti iura cubilis habes,
Seu Veneris vinclo cuiquam ſocianda iugali,
Lecta tuus libet munera carus onyx:
Ipſa immortali antè omneis clariſſima dono
Et caput, & faciem pulchra magis colere.

DE MARIA SANSEVERINIA, ET EIVS MARITO.

Cùm decus Italidum velut inter ſidera Phœbe
Hinc diuûm Maria prædita muneribus,
Hinc iubar Auſoniæ magni ceu Phœbus olympi
Fulgeret Hericus gloria Romulidum:
Alterum vt alterius fulgenti lampade, mundi

Clara magis niteant lumina, iunxit amor.
Coniuge felices coniux, & principe princeps
Viuite felici viuite coniugio.

AD HERICVM VRSINVM.

Vrſa nitet cœlo regitur qua nautica pinus,
Vrſa parens fœdis lumina fert catulis,
Vrſina eſt patriæ columen clariſſima proles,
Herice Vrſinis tu decus omne tuis.

TVMVLVS.

Pan commodarat mihi animum, Saturnia
Proles relictum corpus: at nunc (fas .n. eſt)
Quisque ſuum habet. Pierides has lachrymas, rogo,
Pellite. ſua id mater habet, aſtra mens tenet.

AD CAESAREM.

Quis tibi cum ſuperis ſanctiſſima fœdera Cæſar
Iam ſtare imperij, atque aſtra fauere neget?
Quæ mare, quæ terras, triſti quæ ſidere cælum
Sæua ferens hyemem Diua ciere ſolet,
Hæc nitido Libyæ victorem aſpectat olympo
Te læta, atque auget gaudia Parthenopes.

AD PARTHENOPEN.

Cæſaris hæc fortuna, tibi hæc non munera parua
Parthenope, noſtri gloria prima ſoli,
Vt Regem accipias cœlo tam læta ſereno
Tempore, quo nimbis aſpera ſæuit hyems.

IN STATVAM PHILIPPI REGIS.

Vnus eras diuina effingier arte Leontis,
Vnus erat dignus magne PHILIPPE *Leon,*
Qui te ſpiranti expreſſum daret ære: nec illi
Par opifex vnquam, nec tibi Rex fuerat.
Fortunati ambo: nam multum deeſſet vtrique;
Forte alio ſi alter tempore natus erat.

IN EANDEM.

Dædala vt aſpexit Natura ex ære Philippum,
Diuina ſpirans arte Leontis opus,
Obſtupuit mirata diu: vnde exempla petebat,
Eſſe putat Regis magnanimi ſpeciem.
Tum ſe deceptam agnoſcit: nec pœnitet: immò
Hoc, ait, exemplar iam mihi Regis erit.

DOMINICVS PIZIMENTIVS IN MINTVRNI SEX Libros de Poëta.

Iam monumenta palàm Venuſinis candide lector
Edita præceptis nobiliora vides.
Antè breuem dederat numeroſus Horatius artem;
Nec facile ad Muſas ille docebat iter.
At modò ſex lector miro candore libellos,
Vtile, & in primis nobile cernis opus.
Minturnus perhibet nulli memorata priorum;
Condere qua cultum carmen & arte decet.
Congerit & quicquid docuerunt artis Athenæ;
Quicquid & Auſoniæ concinuere lyræ.
Si tenui cultum meditari carmen auena
Te iuuat; aut longa dicere bella tuba,
Hoc iam miranti diuinæ mentis acumen,
Omnia præterea ſordida viſa mihi.
Mæonij contrà memorabile carmen Homeri
Inuenio ſoli cuncta dediſſe deos.
Iste refet verum ſumpta testudine Phæbum;
Tàm ſuaues docto ſpirat ab ore modos.
Non maris Eoi, rubri non incola ponti,
Ignorat tellus vltima nulla virum.
Audijt hunc quoties Lyris, Sebethus & ipſe,
Continuit curſum flumen vtrunque ſuum.
Hic Arethuſa tuis caneret dum ſæpe ſub antris,
Diuinum quiddam nympha ſonare rata es.

Aurea mellifluo mulcebat ſidera cantu;
Reddebat claros, & ſine nube dies.
Ad noua nunc igitur volitent præcepta poëtæ,
Nec de Caſtalio fonte petantur aquæ.
Hoc., ſummo Aonias ſtudio quęrentibus vndas,
Delius, & verax muſa, volumen erit.

FINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LABORATORIO L. GOTTSCHER
VIA DEL BOSCHETTO 97 - RO[illegible]
1969 [illegible]